



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,  
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

**Rhodes, Georges de**

**Lvgdvni, 1671**

Liber Primvs. Philosophia Rationalis, siue Logica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)



Philosophiæ nomen, definitio, & divisio.

Philosophia videlicet quam aggredimur, est Encyclopædia quædam, siue vniuersitas scientiarum omnium naturalium, quæ definitur, *Scientia quæ rerum omnium naturalium cognitionem tradit per proprias causas naturales*. Licet enim si spectetur vis ipsa hominis, quod impositum esse primum à Pytagora docet Clemens Alexandrinus *lib. 4. Stromatum*, Philosophia significet *amorem sapientiæ*, qui est habitus voluntatis; res tamen eo significata nomine non est aliud, quàm ipsamet sapientiæ, prout ambitu suo attingit Ens increatum, & creata omnia, prout naturali lumine cognosci possunt; lumen enim supernaturale Theologia sibi sola vindicat.

Habet enim vniuersalissima hæc scientia substans naturali lumini, & totum illud exhauriens, id est ad ea omnia se extendens, quæ attingi ab eo possunt; habet, inquam, quinque omnino partes; tres speculatiuas, duas practicas. Speculatiuæ sunt Metaphysica, quæ ipsius Entis essentiam & generales proprietates, resque ipsas à materia separatas subtilius inuestigat; Physicam & Mathematicam, quæ considerant altera passiones corporum, altera proportionem quantitatum. Practicæ sunt Logica & Ethica: illa operationes intellectus dirigit, ut discurrat sine periculo erroris; ista regulat voluntatis actus, ut viuat sine macula criminis.

Mihi totam hanc scientiam, demptâ Mathematicâ, tradere cupienti prima omnium occurreret, quæ postrema tradi solet communiter Metaphysica; quia illa prima omnino est Philosophia, non solum nomine aut dignitate, sed etiam necessitate; continet enim principia generalia scientiarum, cuius ignorantia incredibiles in aliis scientiis tradendis errores parit. Nesciunt enim omnino illam noui scioli, qui variis quibusdam & fallacibus nixi experienciis, bellum non verentur indicare Aristoteli. Pygmæos videre mihi sanè videor ausos Herculem aggredi, quos omnes magnus ille Gigas minimi digiti sui motione sternere humi potest, & in ventum spargere. Sed ne tamen Tyronibus terrorem afferat immutatio illa ordinis, principium mihi erit dicendi Rationalis Philosophia, quæ præcepta tradit rectè discurrendi. Mox Philosophia naturalis, quæ dicit corporum omnium naturas, & proprietates. Inde Philosophia moralis, quæ artem docet rectè viuendi. Postremò claudet agmen, quæ dux esse debuit, Metaphysica, generalissimum explicans conceptum entis, passiones, & diuisiones, ac demum in consideratione Intelligentiarum, & in primi Entis inquisitione totius Philosophiæ metas ponens.



## PHILOSOPHIÆ PERIPATETICÆ LIBER PRIMVS.

### PHILOSOPHIA RATIONALIS,

Siue Logica.

AD ORGANVM ARISTOTELIS.

PROLOGVS.

Logicæ dignitas & necessitas.



LEGANTER Philo *lib. de agricultura*, Philosophiam horto comparat, Physicam arboribus, Moralem fructibus, propter quos sunt arbores; Logicam sepi, quæ impedit ne in interiora irrepant errores, veluti feræ, quæ omnia fœdissimè depascantur. Merito igitur paradisum hunc amœnissimum ingressurus, & Lectorem meum in eum introducturus, in hac primùm parte Philosophiæ tradenda immoror sine qua caligant omnes scientiæ, intellectus sola parturit monstra, & luce sua destitutus veritatem dum inquirat, non inuenit nisi dubia, & mendacia. Hæc est enim, ut rectè differit Augustinus *lib. 2. de ordine, cap. 13.* disciplina disciplinarum; hæc docet docere, hæc docet discere; in hac se ratio ipsa demonstrat, atque aperit qualis sit, quid velit, quid valeat; scilicet sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest. Illa quam Clemens Alexan



## Prologus.

3

Alexandrinus *lib. 6. Stromatum*, rectè appellat *θεωρίαν τῆς ἀληθείας*, murum & vallum veritatis. Illa quam Plato *lib. 7. de Republ.* contendit scientiarum omnium esse apicem, ceteras utem scientias eius comparatione non esse scientias, sed medium tenere inter opinionem & scientiam; quia scilicet illa est quæ hominis nobilissimam partem optimo modo perficit, intellectum videlicet, ut circa præstantissima obiecta ratiocinari possit absque vilo errore. Immeritò autem Tertullianus *lib. de præscriptionibus, cap. 7.* eam vituperat, vocatque *artificem fruendi, & destruendi versipellem: in sententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi.*

Totam autem hanc disciplinam Philosophiæ reliquæ præmitto ut pharum & lucernam splendidissimam, quæ dispellat à reliquis scientiæ huiusce partibus omnes tenebras, & caliginem omnem abigat; unde mihi quinque disputationibus videatur commodissimè totam concludi posse. Prima de natura & proprietatibus huius habitus, quem constabit totum occupari circa directionem trium mentis operationum. Secunda de iis quæ spectant ad directionem primæ operationis, & sunt ens rationis, prædicabilia, prædicamenta. Tertia de secunda operatione mentis. Quarta de tertia mentis operatione. Quinta demùm de demonstratione. Summulas autem volens hinc præmitto, in quibus video nihil à me posse afferri, nisi quod à pluribus dictum esse video, & ad Tyronum deterrenda ingenia sæpius repetitum.



### DISPUTATIO I.

*De iis, quæ spectant ad naturam Logicæ.*



REI cuiuslibet vera quidditas definitione illius necessariò continetur: constat autem definitio si bona est & legitima, *genere*, quod commune cum multis est; & *propriâ differentiâ*, quæ distinctiva est rei à quolibet alio, & ex qua potissimum innotescit. Cum igitur definitio vera Logicæ quam tractamus, ista sit, *Est habitus directivus trium mentis operationum*, tum naturam plenè dixerò, cum exposuero in quo genere habituum illa sit, quodnam illa obiectum habeat; à quo tamen ultimo placet ordiri, quia eo cognito facilis circa totum genus esse poterit resolutio.

### QVÆSTIO I.

*De obiecto Logicæ.*

UT liquidò habeatur quid illud sit, quod scientiam hanc in certa specie constituit & determinat, habetque inter Doctores maximam controuersiam, tria paucis exequor. Primò, quid & quotuplex in scientiis sit obiectum. Secundò, quodnam sit obiectum materiale Logicæ. Terriò, quodnam sit eius obiectum formale.

### SECTIO I.

*Quid, & quotuplex sit generatim obiectum scientiæ.*

DE huiusmodi obiecto plenè disputo initio Metaphysicæ, nunc pingui solum mineruâ explico quid intelligi soleat nomine *Obiecti*, quid nomine *Obiecti materialis*, & *Obiecti formalis*, quid nomine *Obiecti adequati*, & *Obiecti attributionis*.

Certum igitur primò est, obiectum potentia ali-

*R. P. de Rhodis curs. Philosoph.*

cuius, vel scientiæ alicuius illud appellari, *Circa quod aliqua scientia vel potentia occupatur per suos actus.* Ratio est, quia obiectum scientiæ vel potentia dictum est id, quod obiicitur alicui scientiæ vel potentia: sed id, circa quod occupantur actus alicuius scientiæ vel potentia, illud ipsum est, quod illi obiicitur, & proponitur ut circa illud exerceat suos actus; est enim id quod scitur: ergo illud est obiectum scientiæ circa quod occupantur actus illius scientiæ vel potentia. V. g. obiectum potentia visiva est corpus coloratum, quia est id, quod ab oculo videtur, & circa quod versatur ipsa visio. Et similiter corpus naturale, obiectum est scientiæ Physicæ, quia circa illud occupantur actus omnes Physicæ, quia tota Medicina occupat suos actus circa corpus ut sanabile.

Certum est secundò, obiectum scientiæ cuiuslibet aliud esse materiale, aliud formale. *Materiale*, res est ipsa quam scientia considerat, seu id quod non attingitur propter se ipsum, sed propter aliud. *Formale* est ratio secundum quam consideratur, id est id quod propter se ipsum attingitur, & alia propter ipsum. V. g. *corpus* est obiectum materiale visionis, *color* autem est obiectum formale, quia corpus non attingitur ab oculo nisi propter colorem. Ratio est, quia sicut in corpore illa pars est materialis, quæ communis est pluribus & indifferens ad diuersa specie corpora; pars verò formalis, quæ illam determinat ad certam speciem corporis, sic in obiecto illa vocatur pars materialis, quæ indifferens est ad diuersas scientias, ad quas pertinere potest; pars verò formalis ea, quæ illam determinat ad vnâ certam scientiam: v. g. *corpus* pertinere potest tum ad Medicinam, tum ad Physicam; sed per *sanabile* determinatur ad Medicinam, per *naturale* ad Physicam. Unde argumentor. Pars illa obiecti est materialis, quæ est determinabilis; quæ verò est determinatiua, pars est formalis: sed id quod consideratur à scientia, & non attingitur nisi propter aliud, est determinabile; ratio autem propter quam, & secundum quam cognoscitur, est pars determinatiua: ergo res quæ cognoscitur à scientia est obiectum materiale; ratio autem secundum quam, & propter quam cognoscitur est obiectum formale.

Certum est terriò, duplex esse obiectum materiale; aliud enim est *complexum*, aliud *incomplexum*. Incomplexum vocatur obiectum materiale de quo, estque subiectum conclusionis scientificæ, seu id

A

cuius

Obiecti nomen quid vniuersim significet.

Obiectum materiale & formale.

Duplex obiectum materiale de quo, teriale.



# 4 Philosophiæ Peripateticæ Liber I.

enres probantur proprietates in illa scientia. **A**  
Complexum vocatur *obiectum materiale* quod, &  
est integra conclusio demonstratiua. Similiter ob-  
iectum formale dicitur esse triplex, formale quod,  
formale quo, formale sub quo. Ratio formalis quæ,  
vocatur ratio cognita, seu id ex obiecto materiali  
quod cognoscitur, seu prædicatum conclusionis  
demonstratiuæ. Ratio formalis quæ, vel ut loquun-  
tur alij, *propter quam*, vocatur ratio motiua, estque  
motiui determinans potentiam ad talem spe-  
ciem, assensus, seu est cognoscibilitas obiecti, vel  
medius terminus. Ratio formalis *sub qua*, est  
conditio aliqua requisita ex parte obiecti, sine  
qua non potest terminare actum potentia, vel  
habitus.

**B** Certum est quartò, obiectum scientiæ aliud esse  
adequatum, aliud inadaquatum. Adequatum illud  
est quod continet omnia, quæ per se tra-  
ctantur in tali scientia, & in ordine ad quod omnia tractan-  
tur, ita ut quæcunque in ea per se tractantur, sint  
vel partes, vel causæ, vel attributa illius, vel cer-  
tè ad illud dicantur habitudinem. Vnde vocari etiam  
solet *obiectum attributionis*, ad quod videlicet om-  
nia quæ considerantur à scientia, ita reuocantur, ut  
non considerentur nisi quatenus reuocantur. Ne-  
que approbo quod Recentioribus nonnullis pla-  
cet, huiusmodi obiectum distinguere ab obiecto  
adequato, quod nimirum sic adequat scientiam,  
ut nec alia excedatur, neque illam excedat: pa-  
teret autem tale obiectum necessariò illud esse in or-  
dine ad quod omnia sic tractantur, ut non tracten-  
tur nisi per ordinem quem ad illud dicunt: igitur  
obiectum attributionis est ipsummet obiectum ade-  
quatum. Fateor tamen obiectum attributionis  
minùs propriè illud aliquando appellari, quod est  
præstantius in obiecto scientiæ, & id cuius cog-  
nitio præcipuè intenditur; sic enim *Deus* dicitur  
obiectum attributionis in Metaphysica, & *homo*  
in ipsa Physica. Sed hæc usurpatio impropria est,  
quia verum obiectum attributionis illud est in or-  
dine ad quod omnia tractantur in tali scientia. Ob-  
iectum *principalitatis*, seu nobilissima pars obiecti  
adequati, non est huiusmodi; nam tamen ad il-  
lud omnia dicantur ordinem, considerantur tamen  
etiam sine tali ordine.

## SECTIO II.

### De obiecto materiali Logica.

**O**mnes quæ de parte materiali obiecti Logica  
variorum Doctorum sententiæ, reuocantur, ni-  
fallor, ad tria capita. Primò enim statuunt aliqui  
considerari à Logica res omnes, atque adeò Logi-  
cam esse vniuersalem quandam scientiam, omnia  
respicientem quæ fieri possunt. Alij ad solas voces  
expressiuas conceptuum Logicam restringunt,  
quod communiter solet tribui Nominalibus,  
quamuis contrarium colligi posse videatur ex  
Ochamo tum initio Logica, tum in *primum dist. 1. q. 8.*  
Alij secundò ponunt Logicæ obiectum ali-  
quid in solo intellectu existens, sed obiectiue  
volunt sola considerari à Logica *entia rationis*, &  
secundas (ut ipsi vocant) intentiones. Tertio  
communius dici solet obiectum Logica operationes  
esse ipsius mentis, atque adeò illud existere in  
solo intellectu, sed subiectiue; quod tamen non  
vno modo explicari solet, ut patebit statim.

S. I.

*Verum res omnes, aut sola voces sint  
obiectum Logica.*

**D**ico primò, neque res omnes, neque solas  
vores expressiuas conceptuum esse partem ma-  
terialem proximi, & directi obiecti Logica. **Conclusio  
negatiua.**

Ratio vtriusque partis conclusionis est sola de-  
finitio proximi, & directi obiecti alicuius scien-  
tiæ; siquidem obiectum aliud est proximum, aliud  
remotum in qualibet scientia. Dicitur *proximum  
obiectum* illud quod per se terminat actum alicuius  
habitus, vel potentia: *remotum* quod terminat  
mediante alio; sic enim *color* est obiectum proxi-  
mum potentia visui; *paries* autem est obiectum  
remotum, quia color per se terminat visionem, pa-  
ries autem mediante colore illam terminat. Vnde  
conficitur argumentum. Illud non est proximum  
Logica obiectum, quod non terminat per se ipsum  
omnes actus Logica: *res omnes* non per se termi-  
nant ipsos actus Logica, qui omnes sunt cog-  
nitiones operationum dirigendarum, atque adeò ter-  
minantur proximè ad operationes, remotè autem  
ad res: ergo *res omnes* non sunt proximum obie-  
ctum Logica, alioqui Logica non esset certa qua-  
dam & specialis scientia, sed generalis duntaxat  
affectio cuiuslibet scientiæ, quæ Physica esset,  
dum discurreret circa *corpora naturalia*, esset Ma-  
thematica dum versaretur circa *rerum mensuras*,  
Metaphysica prout versaretur circa generalissima  
*entis* attributa, prout abstrahunt ab omni materia,  
& possunt puris Intelligentiis esse vel propria, vel  
illis communia cum corporibus; quod est excinde-  
re omnem Logicam, & negare veram aliquam scien-  
tiam, quæ specialiter dirigat intellectum discurren-  
tem, ne errat: sicut datur scientia quædam Ethica,  
quæ dirigit voluntatem, ne peccet.

**Secundò de Vocibus** eadem probatio est; obie-  
ctum enim scientiæ alicuius directum dicitur illud  
quod propter se ipsum primariò cognoscitur, non  
autem secundariò tantum, & propter aliud. Logi-  
ca non versatur primariò circa solas *vores* propter  
ipsas, sed secundariò tantum, & propter operatio-  
nes mentis, quarum sunt expressiuæ; sola enim  
Grammatica *vores* primariò, & earum significa-  
tiones ac directionem considerat: ergo *vores* non  
sunt Logica obiectum, etiam inadaquatum; quod  
videtur repugnare Sancto Thomæ *primo de inter-  
pretat. lect. 1.* quod enim nullo modo consideratur  
nisi propter aliud, non est obiectum primarium,  
etiam parziale.

**O**biicitur primò. Hic syllogismus: Quidquid  
potest inesse multis, potest prædicari de multis:  
sed vniuersale potest inesse multis: ergo vniuersale  
potest prædicari de multis: sed illud est sine dubio  
actus Logica, versatur autem immediatè circa *res*,  
non autem circa ullam mentis operationem: ergo  
actus Logica versatur immediatè circa *res*, quæ  
propterea sunt immediatum obiectum Logica.

**R**esp. negando quod propositus ille syllogismus  
immediatè versetur circa *res*, cum versetur circa  
prædicabilitatem vniuersalis, quæ pertinet ad ope-  
rationes mentis; imò est operatio mentis. Est  
autem immediatè ille syllogismus versetur circa *ip-  
sas res*, certè negari potest illum esse actum imme-  
diatum huius scientiæ, actum videlicet qui elicia-  
tur primò & per se à Logica; sed ad summum actus  
est medius, qui scilicet non eliciatur propter se  
ipsum. Visio enim v. g. est actus immediatus po-  
tentia

Probatio  
vtriusque  
assertionis.

Altera pro-  
batio de vo-  
cibus.

Prima obie-  
ctio.



rentia videntis; visio autem albi actus est mediatuſ. Id autem quod ſpecificat ſcientiam non eſt actus mediatuſ, ſed actus immediatuſ & adequatuſ. Ille verò ſyllogiſmuſ ſi ſpectat ad Logicam, ſpectat vt actus mediatuſ, non autem vt actus immediatuſ.

Obiicitur ſecundò: hic actus [ Definitio vocalis explicat naturam rei. ] immediatè verſatur circa ſolas voces: eſt autem actus Logicæ: ergo actus Logicæ immediatè ac directè verſatur circa voces.

Reſp. illum actum indirecè duntaxat & ſecundariò ſpectare ad Logicam, non autem primariò & directè, quia non elicitur à Logica, niſi vt iunctur directio ipſarum mentis operationum.

## §. I I.

*Vtrum materiale obiectum Logicæ ſit Ens rationis, & ſecundæ intentiones obiectiuæ.*

Ens rationis logicum.

Certum eſt ſecundò, ens rationis vniuerſaliter ſuſceptum, vt dicam initio ſecundæ diſputat, eſſe eſt ſictum ab intellectu, & nullo modo exiſtens à parte rei, ſeu eſt id, quod cogitatur ac ſi reuera eſſet; cum tamen neque ſit, neque poſſit eſſe à parte rei: huiuſmodi eſt chimæra, vel hircoceruſ. Ens autem rationis quod vulgò dicitur Logicum, plurimùm diſſert ab ente rationis communiffimè ſumpto; nihil enim illud eſt: ſed quàm denominatio extrinſeca ab operationibus mentis, per quas aliquid dicitur prædicatum, ſubiectum, definitio, diuiſio, argumentatio, id eſt res ipſa prout denominatur eſſe genus, ſpecies, &c. & hæ vocari communiter ſolent *ſecundæ intentiones obiectiuæ*, ad quarum intelligentiam

Prima & ſecunda intentio.

Certum eſt ſecundò, *intentionis* nomen, licet voluntati tribuatur prout tendit in finem, ſummi tamen apud Dialecticos pro actu intellectus, vel pro eius obiecto; nam intendere non eſt aliud quàm *tendere in*: cognitio autem eſt tendentia quadam in obiectum; idè vocatur intentio formalis, obiectum autem ab ea cognitum vocatur intentio obiectiuæ, quæ vtraque iterum eſt duplex, prima & ſecunda. *Prima intentio formalis* eſt cognitio rei ſecundùm ea, quæ conueniunt illi à parte rei: *prima intentio obiectiuæ* eſt res cognita ſecundùm ea, quæ conueniunt illi à parte rei. *Secunda intentio formalis* eſt cognitio rei ſecundùm ea, quæ conueniunt illi per intellectum, prout nimirum eſt cognita: *ſecunda intentio obiectiuæ* eſt res cognita ſecundùm ea, quæ conueniunt illi per intellectum, & prout eſt cognita. Vulgò autem Dialectici quando ſecundas nominant *intentiones*, loquuntur de iſtis ſecundis intentionibus obiectiuis. Hoc poſito

Status controuerſie.

Difficultas non eſt, vtrum ens rationis illud chimericum ſit obiectum iſtud Logicæ, quod inquirimus, nemini enim venit vnquam in mentem hoc aſſerere; nam Logicæ ſic conſiderat omnes chimæras, imò ſolum ens reale eſt aliquid ſcibile; entia verò ſicta non ſunt ſcibilia. Si verò aliqua eſt ſcientia, cuius aliquod munus ſit ens rationis conſiderare, illa eſt ſine dubio Metaphyſica, cuius obiectum eſt ens reale, quod commodè ac adequatè nequit intelligi ſine oppoſito ente rationis. Itaque illi omnes Doctores quibus placuit aſſerere, quòd ens rationis ſit obiectum materiale Logicæ, voluere tantùm ens illud rationis, quod Logicum nominant, eſſe huiuſmodi obiectum, id eſt denominationes illas ſunt id, quo ſignificatur obiecti, prædicati, &c. ſeu ipſamet obiecta prout deno-

R. P. de Rhodes curſ. Philoſoph.

A minantur ſubiecta, prædicata, definita, &c. Contra quos tamen

Dico ſecundò, *Ens rationis*, etiam *logicum*, & *ſecundus illas intentiones obiectiuas* in nullo verò ſenſu dici poſſe obiectum Logicæ directum. Ita communiffimè tradunt Doctores infra citandi pro mentis operationibus formalibus. Repugnant autem cum omnibus Thomiſtis Maſius, Vallæſ, Sotus, Toletus.

Aſſertio negans.

Ratio autem primò eſt, quia entia illa rationis *logica* verè realia ſunt entia, vt demonſtrabo ſecundà diſput. vbi probabitur denominationes extrinſecas ab actibus intellectus realibus planè reales eſſe, cum nihil in eis ſit ſictum. Sed eſto vocentur illæ denominationes ſubiecti, prædicati, & aliæ huiuſmodi, entia rationis, adhuc oſtendo illas non conſiderari directè à Logica, ſed ſecundariò tantùm, & in ordine ad operationes mentis. Illud ſolum conſideratur directè à Logica cui ſoli applicantur præcepta Logicæ: ſed ſolis operationibus mentis formalibus, non autem obiectiuis, applicantur præcepta Logicæ; nam v. g. illud eſt Logicæ præceptum: [ Syllogiſmuſ in *Barbara* tribus conſtat propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis; ] quod præceptum eſt de ſyllogiſmo, atque adeò de vera mentis operatione: ergo Logica non directè ac primariò conſiderat entia illa rationis *logica*, & ſecundas intentiones obiectiuas. Et confirmatur, quia ſi Logica conſideraret directè huiuſmodi entia, neceſſe eſſet, vt ea, quæ Logica docet, verificentur de illis, non autem de ipſis rebus realibus; ſed non verificantur ea, quæ Logica docet de illis entibus rationis; nam v. g. cum dicitur *prædicatum* aſſeruari debere de *ſubiecto*, non licet tamen dicere *ſubiectum* eſſe ipſum *prædicatum*; ſed tantùm quod Petruſ eſt homo: ergo maniſeſtum eſt entia rationis indirecè tantùm pertinere ad logicam conſiderationem.

Prima probatio.

Secundò ſi ens rationis logicum eſſet obiectum ipſius Logicæ, deberet ſimili modo eſſe obiectum Moraliſ, aut etiam Rhetoriciæ, aliarumque diſciplinarum; ſicut enim ex operationibus mentis reſultat denominatio extrinſeca, per quam obiecta dicuntur genera, ſpecies, definita, diuiſa, &c. ita ex operationibus voluntatis dicuntur honeſta, inhoneſta, &c. in Rhetoriciæ dicuntur tropi, figuræ, &c. ſed obiecta illarum ſcientiarum non ſunt entia rationis moralia vel rhetorica: ergo etiam obiectum Logicæ non eſt ens rationis logicum.

Secunda probatio.

Tertiò probant eandem aſſertionem rationes omnes ſtatim adducendæ, quibus probabitur operationes mentis primò & per ſe conſiderari à Logica, cum illa non intendat aliud, quàm earum directionem; imò illæ operationes prout dirigendæ, ſunt aliquid ſcibile ab aliqua ſcientia, quæ non po- teſt eſſe niſi Logica.

Tertia probatio.

Obiicitur primò. Nihil tractatur aliud à Logica, præter entia illa rationis *logica* & obiectiuæ; nam prædicabilia, prædicamenta, termini, enunciatio- nes, definitio, diuiſio, argumentatio, entia ſunt rationis *logica*: ergo ens rationis eſt adequatum obiectum materiale Logicæ.

Reſp. diſtinguendo antecedens: nihil aliud tractatur primariò & directè à Logica, quàm entia rationis, quæ vocantur *logica*, id eſt prout ſunt entia rationis, nego; nihil tractatur aliud ſecundariò & indirecè, quatenus ſcilicet per illa ſignificantur operationes mentis reales, concedo. Entia ergo iſta rationis ſunt obiectum Logicæ, duntaxat indirec- tum & ſecundarium, quia ſunt id, quo ſignificatur obiectum Logicæ directum.

A

Obiicitur

DEPHODE



Obicitur secundò. Quæcunque tractantur in Logica, tractantur sub consideratione entis rationis; Logicus enim non agit de genere, specie, &c. nisi quatenus sunt obiectum diuisum, definitum, &c. ergo ens rationis primò & per se à Logica consideratur. Vnde fit vt Logica appelletur scientia rationalis & sermocinalis, non autem scientia realis.

Resp. eodem modo ac priùs, Logicam considerare sepe huiusmodi entia rationis, non vt sunt obiecta definita, diuisa, &c. sed quatenus per illa significantur operationes ipsæ mentis, quæ sunt definitiones, diuisiones, & aliæ huiusmodi, quarum directionem Logica intendit.

Obicitur tertid. Contrariorum eadem est disciplina: ergo Logica quæ realem definitionem considerat, agere debet etiam de ficta, quæ reali opponitur; sicut Metaphysica, quæ considerat ens reale, considerat etiam ens rationis.

Resp. negando bonam definitionem opponi definitioni fictæ; nam opponitur reali definitioni, sed male, sicut virtus realis opponitur vitio etiam reali; alioqui sequeretur Physicum qui agit de vero cælo, agere etiam de cælo ficto. Ad probationem negatur paritas; Metaphysica enim agit de ente reali vt est reale, idè mirum non est quod agit de ente ficto: Logica verò non agit de definitione vt realis est, sed vt bona est; idè non agit de definitione ficta.

### §. III.

*Vtrum obiectum Logicæ adæquatum sint tres mentis operationes.*

**S**ubiectum adæquatum Logicæ, nec est aliquid existens realiter, neque aliquid existens fictè extra ipsum intellectum, vt probabam hætenus, sequitur vt in solo resideat intellectu tanquam in subiecto, atque adèò vt sit aliqua mentis operatio, quod modò disputandum est, neque, vt monui nuper, explicari vno modo solet; alij enim solum syllogismum, imò & solam demonstrationem volunt esse obiectum istud totale: alij ponunt modum sciendi, idè diuisionem, definitionem, & syllogismum, vel formalem, vel obiectiuum: alij omnes mentis operationes, saltem prout dirigendas, Logicæ assignant.

Conclusio  
bipartita.

Dico tertid, neque solum syllogismum, aut etiam demonstrationem; neque solum modum sciendi, esse adæquatum obiectum Logicæ.

Syllogismus  
non est obiectum  
totale.  
Prima probatio.

Primam partem cum Scoto, Alberto & pluribus Interpretibus Aristotelis negant Vasques, Hurtaeus, Arriaga; plures autem communiùs affirmant mox citandi. Ratio autem primò est, quia prima & secunda mentis operatio, prout sunt totales operationes à tertia distinctæ, habent scibilitatem, & dirigibilitatem distinctam à dirigibilitate ac scibilitate tertiæ operationis, siue illa sit sola demonstratio, aut etiam quilibet syllogismus. Vnde argumentor. Obiectum adæquatum attributionis alicuius scientiæ illud est, ad quod omnia referuntur; syllogismus & demonstratio non sunt huiusmodi; prima enim & secunda operatio tractantur à Logica, neque, vt sic, dicunt ordinem ad syllogismum & demonstrationem, alioquin non sunt totales operationes: ergo neque sola demonstratio, neque solus syllogismus sunt adæquatum obiectum Logicæ. Probatur minor, quia prima & secunda mentis operatio, prout totales, & independentes à tertia, veram habeant essentiam & veras proprietates: ergo ha-

**A** bent veram scibilitatem & dirigibilitatem ratione cuius possunt cognosci ab aliqua scientia: sed non cognoscuntur ab alia scientia quam à Logica: ergo illæ operationes habent scibilitatem propriam quam considerat Logica; imò si per impossibile Logica non consideraret tertiam mentis operationem, adhuc tamen considerare posset primam & secundam operationem.

Secundò: illud obiectum est Logicæ adæquatum, quo posito ponitur scientia Logica, & quo sublato tollitur: sublata tertiâ operatione adhuc tamen maneret Logica, nam adhuc tradi possent præcepta de definitione & enunciatione: ergo, &c. Et sanè operationes mentis eodem modo pertinent ad Logicam, quo operationes voluntatis pertinent ad Moralem, & corpus pertinet ad Physicam: sed quilibet actus voluntatis prout honestate informandi pertinet ad Moralem, non soli actus perfectissimi; & quodlibet corpus ad Physicam, alioqui solus homo esset adæquatum obiectum Physicæ: ergo, &c.

Secunda  
probatio.

Secunda pars modum sciendi negans esse obiectum totale Logicæ, contra Fonseca, Masium & Conimbricenses, eger explicatione. Modus enim sciendi, alius est formalis, alius obiectiuus. *Modus sciendi formalis* sunt ipsæ operationes intellectus, quibus traduntur præcepta diuidenti, definiendi, argumentandi. *Modus sciendi obiectiuus* est obiectum, quod definitur, diuiditur, & argumentatione concluditur, v. g. homo, est obiectum definitum, diuisum, &c. Tres igitur illi actus intellectus, definitio, diuisio, argumentatio, dicuntur modi sciendi, seu instrumenta sciendi, quia illis vt possumus ad rectè cognoscendum, & ad tradendas certas quasdam regulas quibus perficiatur directio operationum mentis, idè operationes quæ dirigunt tradentes præcepta: modus enim sciendi formalis est ipsamet notitia directiua, quam habemus de actibus rectè faciendis. Vel certè sunt actus ipsimet intellectus obiectiuè considerati cum regulis & præceptis suæ directionis, quo pacto se habent idealiter ad dirigendas singulas operationes in vltimo actu. Quoties igitur asseritur, obiectum Logicæ esse modum sciendi, significatur quod idea & regulæ seu præcepta definiendi, diuidenti, argumentandi, primariò & adæquate à Logica considerentur; hoc autem negauit conclusio.

Modus sciendi  
quid sit.

**D** Primò quia, vt nuper argumentabar, illud quod non omnia complectitur, quæ tractantur in aliqua scientia, non est obiectum scientiæ: sed tres modi sciendi, siue præcepta definiendi, diuidenti, argumentandi, non complectuntur omnia quæ tractantur primariò & per se à Logica, cum illa tractet etiam vniuersalia, categorias & enunciationem, præciso ordine, quem dicunt ad præcepta definiendi, diuidenti & argumentandi; sunt enim, vt sic, aliquid scibile: ergo tria illa instrumenta sciendi quibus traduntur vel significantur præcepta definiendi, diuidenti, argumentandi, non sunt adæquatum Logicæ obiectum.

Prima ratio.

**E** Secundò illud non est directum obiectum Logicæ, cuius cognitio non primariò & propter se ipsam intenditur à Logica, sed refertur ad aliud: modus sciendi cognoscitur à Logica propter operationes mētis, non autem propter se ipsum; nam omne instrumentum refertur vlteriùs ad rem cuius faciendæ est instrumentum; modus autem sciendi seu præcepta sunt instrumenta operationum rectè faciendarum: ergo ad illas referuntur, non autem intenduntur propter se ipsa, atque adèò non sunt directum obiectum Logicæ; sic enim in omnibus artibus & sci-

Secunda ratio.



scientiis practicis, obiectum earum non sunt instrumenta, quibus perficiuntur operationes artium, sed ipsæ opera, v.g. obiectum picturæ non sunt penicilli, obiectum artis scribendi non sunt calami, quia scilicet reducuntur ad opera, propter quæ assumuntur. Idem ergo affirmandum est de Logicæ, ad quam secundariò & reductiue pertinent præcepta; non considerantur autem primariò & directè, & multò minus adæquatè.

Prima obiectio.

Obiicitur primò: illud est obiectum adæquatum & attributionis in aliqua scientia, ad cuius notitiam perfectam, tanquam ad finem ultimum aliorum obiectorum, per se, & ex natura ordinatur; ad quod nimirum omnia referuntur. Huiusmodi est demonstratio & tertia operatio; nam cognitio *paris* essentialiter refertur ad cognitionem *totius*; operatio autem prima & secunda partes sunt demonstrationis: ergo sola demonstratio, & tertia operatio est obiectum adæquatum Logicæ.

Resp. primam & secundam operationem considerari posse, vel ut sunt *tota* quædam *completa*, vel ut sunt *partes* tertiæ operationis: quando considerantur ut *tota* quædam, non referuntur ad tertiam operationem; quid enim obstat, quo minus possim considerare definitionem hominis non cogitando de illo syllogismo, sicut consideratur numerus quaternarius ut numerus totalis, & est pars octonarij. Et clarè hoc ostenditur in Angelis, qui discursum non habent, & tamen habent definitionem. Patet ergo distingui debere minorem: ad demonstrationem referuntur prima & secunda operatio ut sunt partes, concedo; pro ut sunt *tota*, nego.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò: illud est obiectum attributionis scientiæ quod est ultimus finis scientiæ per se primò appetibilis: sola demonstratio est eo modo finis Logicæ per se ultimò appetibilis: ergo sola demonstratio est obiectum adæquatum Logicæ. Probat minor, illud solum est ultimus finis per se ultimò appetibilis, quod solum ultimò perficit & satiat potentiam, id est per quod totum obiectum percipitur, in quo quiescit appetitus potentia: illud est sola demonstratio: ergo illa sola est finis.

Resp. finem ultimum dupliciter posse intelligi; primò enim significat finem simpliciter ultimum, ad quem referri possunt alia omnia; secundò significat finem adæquatum, qui non solum includit finem simpliciter ultimum, sed etiam plures alios fines secundum quid ultimos. Obiectum adæquatum attributionis est finis eius adæquatus; finis autem simpliciter ultimus est obiectum primarium, quod appellant *obiectum principiativum*. Hinc ad formam argumenti distinguitur maior: illud est obiectum scientiæ quod est finis adæquatus per se ultimò expenibilis, concedo; quod est finis simpliciter ultimus, seu primarius, nego. Demonstratio est finis Logicæ adæquatus, nego; simpliciter ultimus, concedo: nam etiam si principaliter intendat demonstrationem, intendit tamen etiam per se, licet minus principaliter, reliquas omnes operationes.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertiò: finis Logicæ est tradere modum sciendi: sed modus sciendi est sola demonstratio: ergo illa sola est finis ultimus Logicæ. Confirmatur, si nulla esset demonstratio, prima & secunda operatio non possent sciri, quia sola demonstratio est scientia: ergo prima & secunda operatio non habent scibilitatem distinctam à scibilitate demonstrationis.

Resp. distinguendo maiorem: finis adæquatus

A Logica est tradere modum sciendi, qui est demonstratio, nego; finis simpliciter ultimus & primarius, concedo: Logica enim considerat etiam alios modos sciendi. Ad confirmat. nego antecedens & consequentiam. Antecedens, quia prima & secunda operatio possent sciri, saltem ab Angelis, etiam si nulla esset demonstratio. Consequentiam, quia sequeretur alias scientiæ non habere obiectum distinctum, à demonstratione.

Instabis: operationes mentis non pertinent ad Logicam nisi pro ut sunt modi sciendi & discernendi: sed non sunt modi sciendi nisi definitio, divisio, & demonstratio: ergo illæ solæ pertinent ad Logicam.

B Resp. distinguendo maiorem: operationes mentis non pertinent ad Logicam nisi pro ut sunt modi sciendi; si per modum sciendi significetur quatenus sunt utiles scientiis, concedo; si significetur quatenus per illas potest aliquid scientificè cognosci, nego maiorem; contrarium enim demonstratum est.

Dico quartò, tres mentis operationes, *primam Apprehensionem* videlicet, *Enunciationem*, & *Syllogismum* esse verum, & adæquatum obiectum Logicæ. Hæc est inter Doctores hodie communissima sententia, quam tradidit suæ dubio S. Thomas in *libris de interpretat.* & *primo posteriorum*: sequuntur Caietanus, Suarez, Auerla.

Tres mentis operationes Logicæ sunt obiectum.

C Primò enim sic probant rationes omnes, quibus improbatæ sunt aliæ omnes sententiæ, quæ obiectum Logicæ ponunt vel aliquid extra intellectum realiter existens, aut etiam obiectiue; vel aliquas tantum operationes existentes subiectiue in intellectu; sequitur enim ex eo quod Logica versetur primariò & directè circa omnes mentis operationes. Deinde multæ quoque aliæ rationes idem probant.

Prima probatio.

Secundò enim omnes conditiones obiecti adæquati conveniunt tribus mentis operationibus; nam ad eas referuntur omnia illa quæ tradit Logica, & singulæ per se primò, cum singulæ propriam habeant scibilitatem, & dirigibilitatem distinctam ab omni alia dirigibilitate, ac scibilitate cuiuscunque alterius; sunt enim entitates totales independentes à quolibet alio. Quidquid autem est ens independentes ab alio, est scibile independentes ab alio. Præterea illud est obiectum materiale cuiuscunque habitus, tum artificiosi, tum scientifici, in quod formam suam artifex inducit: Aurifici v.g. subiectum dicitur esse aurum, quia figuram v.g. vasis aut annuli Aurifex in illud inducit: Logica suam formam, id est rectitudinem inducit in omnes mentis operationes: ergo illæ sunt obiectum materiale Logicæ. Neque dicatur in artibus esse verum, non in scientiis: nam artis materia idè est id, in quod ars suam inducit formam, quia ars est habitus operatiuus: scientia practica est etiam habitus operatiuus: ergo in scientia practica æquè ac in arte illud est obiectum proprium, in quod scientia illa suam formam inducit.

Secunda probatio.

E Denique omnis habitus per se institutus ad dirigendas operationes humanas, habet pro suo subiecto illas operationes; sic enim *Salvatio* est obiectum artis saltatricis; *cantus*, Musicæ; artis pingendi, *pictura*; scientia Moralis respicit omnes operationes voluntatis capaces moralitatis & directionis. Logica instituta est per se ad dirigendas operationes intellectus: ergo illæ operationes sunt proprium eius obiectum.

Tertia probatio.

Obiicitur primò, Mentis operationes non sunt proprium eius obiectum.

Quarta probatio.



obiectum Logica nisi prout sunt capaces directionis: prima mentis operatio nullius directionis est capax, cum sit simplex apprehensio, unde tres, ut dixi, assignantur modi sciendi, Definitio, Diuisio & Argumentatio: ergo prima mentis operatio non est obiectum parziale Logica.

Resp. primam mentis operationem esse capacem veræ directionis, ut contra Huradum recte probant multi Recentiores; tunc enim habet rectitudinem quando explicitè ac clarè rem apprehendit; cum distinctè concipit ea quæ in se distincta sunt; cum quærentes propriam rei alicuius essentiam inuenire, reuerà illam assequimur, seu quando est clara, distincta, & propria: tunc autem in ea non est rectitudo, quando est obicuta, idest dum non considerat singulas partes, & gradus essentielles rei alicuius; quando confusa, idest dum ea, quæ sunt distincta, considerat ut aliquid vnum; quando impropria, idest dum quærens proprium rei alicuius conceptum, accipit aliquid ei repugnans, ut cum apprehendit Angelum ut *corporeum*. Si ergo prima operatio fieri potest recta & non recta, capax esse potest directionis.

Secunda  
obiectio.

Obicitur secundò: scientiæ distinctæ habent obiecta realiter distincta: mentis operationes pertinent ad Physicam, cum sint actiones animæ: ergo non pertinent ad Logicam.

Resp. distinguendo maiorem: scientiæ distinctæ habent obiecta realiter distincta, nego; habent obiecta distincta formaliter, concedo, idest singula habent rationes formales sibi proprias, quæ ab aliis non considerantur. Nam ex omnibus ferè scientiis & potentiis constat, illas esse distinctas, tametsi obiecta earum realiter distincta non sint; præsertim si sint obiecta solum materialia; imò & obiectorum etiam formalium distinctio solum per intellectum satis est ad realem distinctionem habituum & potentiarum, ut probabitur suo loco. Logica igitur à Physica distinguitur, quia considerat operationes mentis sub aliqua ratione formali, sub qua non considerat illas Physicæ; & de hac mihi modò querendum est.

### SECTIO III.

#### De formali obiecto Logica.

Habemus materiam adæquatam circa quam tota occupatur Logica consideratio. Nunc, quia illa eadem spectare potest ad alias scientias, inquirendum superest, secundum quam rationem ita consideretur à Logica, ut illius propria omnino sit: quæ ratio dicetur obiectum formale Logica.

Status qua-  
stionis & di-  
uersæ sen-  
tentia.

Conueniunt quidem omnes, rationem illam formalem, esse rectitudinem operationum mentis, sed in ea explicanda sunt diuersi Doctorum sensus. Alij appellant dirigibilitatem, idest, capacitatem rectitudinis, & operationem ut dirigibilem esse volunt obiectum totale. Alij rectitudinem, quatenus est idea & regula: totale autem obiectum esse volunt operationes mentis ut directiuas aliarum. Alij rectitudinem iam perfectam & in facto esse. Denique alij rectitudinem ut actu faciendam, & operationem rectam ut faciendam, siue in ipso fieri: quæ omnia ut perspicue dissoluam, de singulis breuiter dicam quod sentio.

Operatio  
dirigibilis  
non est ob-  
iectum Lo-  
gica.

Dico primò, Mentis operatio prout dirigibilis non est obiectum adæquatum Logica: neque dirigibilis obiectum eius formale, si operatio *dirigibilis* significet operationem prout capax est directionis, seu prout potest fieri recta; & *dirigibilis*

A significet solam capacitatem rectitudinis. Antequam probetur assertio, quam multi negant Recentiores:

Obserua rectitudinem artificiosam operationum mentis non esse aliud, quam entitatem ipsius operationis prout connotat regulam recte operandi, cui est conformis: sicut rectitudo in actu moralis, quæ honestas dicitur, est actus ipse voluntatis prout connotat regulam bene operandi, cui est conformis; sic enim rectitudo mentis operationum est connotatio conformitatis cum regula, inseparabilis secundum entitatem ab operationibus. Regula porò illa nihil est aliud quam idea faciendi syllogismos, definitiones, diuisiones, &c. Itaque directio mentis operationum, est qua illæ sunt conformes regulæ: dirigere verò est facere ut sint definitiones, syllogismi, &c. Operatio ergo dirigibilis, est operatio ipsa prout fieri potest conformis regulæ; & hanc negauit esse adæquatam Logica obiectum.

Primò enim ratio formalis in scientiis practicis, & forma artis in artefactis est illud ipsum, quod ars vel scientia practica introducit in suum subiectum, siue in materiam: sed id, quod Logica inducit est rectitudo, non autem dirigibilitas: ergo ratio formalis obiecti Logica non est dirigibilitas, sed ipsa rectitudo. Maior videtur perspicua, quia id, quod ars, vel scientia inducit in suum subiectum, est illud ipsum, quod scientiam determinat ad tale subiectum, & quod subiectum determinat ad talem scientiam; quod est esse obiectum formale. Minor ergo probatur, quia dirigibilitas reperitur in operatione ante quamcunque considerationem Logica circa ipsam: ergo dirigibilitas non est id, quod Logica inducit in operationem, sed rectitudo.

Secundò illud sibi obicit Logica, quod primò & per se facere intendit, & facit: sed non intendit primò & per se, nec facit dirigibilitatem in operatione: ergo dirigibilitas non est id, quod Logica sibi obicit. Probatur maior: scientia practica ideò cognoscit obiectum, quia illud facit; imò illud cognoscit ut faciat: ergo scientia illud cognoscit, quod facit.

Prima pro-  
batio.

Secunda  
probatio.

Obicitur primò. In hoc scientia practica differt à scientia speculatiua, quod scientia practica non supponat suum obiectum iam factum, sed in fieri: sed operatio recta est obiectum iam factum, sola verò dirigibilis est in fieri; nam operatio recta est operatio iam perfecta, & non amplius perfectibilis: ergo sola operatio dirigibilis est obiectum Logica.

Resp. nomine *rectæ operationis* non significari operationem, quæ iam facta est recta, ut constabit ex dicendis; & nomine *operationis dirigibilis* non significari eam, quæ sit actu recta, sed eam quæ potest fieri recta, seu quæ capax est rectitudinis. Vnde sola hic de vocibus potest esse controversia.

Obicitur secundò. Operatio dirigibilis ut sic, est aliquid scibile: ergo pertinet ad aliquam scientiam, quæ sine dubio sola potest esse Logica. Imò illud est obiectum scientiæ, circa quod illa versatur ad aliquid efficiendum: Logica versatur circa operationem dirigibilem, ut faciat illam directam: ergo, &c.

Resp. utroque illo argumento probari, quod operatio dirigibilis pertinet ad Logicam tanquam obiectum materiale; non probari, quod pertineat ad eam ut obiectum formale. Nam obiectum materiale illud est, circa quod scientia versatur, ad aliquid efficiendum circa illud.

Obicitur tertio. Obiectum formale in scientiis practicis, & in artibus est res aliqua operabilis modo operabili,

Prima obie-  
ctio.

Secunda  
obiectio.

Tertia obie-  
ctio.



# Disp. I. Quæst. I. de Obiecto Logicæ. 9

operabili : sed operatio mentis vt operabilis est operatio dirigibilis : ergo, &c. & confirmari potest, quia hoc eodem loquendi modo solent explicari obiecta aliarum scientiarum ; & artium, v. g. obiectum Medicinæ est corpus *sanabile*, non corpus *sanatum*, aut *sanandum*. Obiecta item potentiarum sic dicuntur, v. g. obiectum intellectus, est ens *intelligibile* ; obiectum oculi est corpus *visibile* : ergo illa operatio, quæ pertinet ad Logicam, est operatio dirigibilis.

Resp. negando, obiectum habitus practici esse illud *operabile*, quod significat ipsam rem pro vt *potest fieri* ; sic enim illud pertinere non potest ad habitum practicum, qui necessarîo inducit suam rationem formalem in obiectum ; illam operabilitatem inducere non potest. *Operabile* igitur consideratum modo operabili, significat rem ipsam pro vt debet fieri, & actu fit : operatio autem dirigibilis est operatio quatenus potest fieri recta ; quod Logica supponit, non facit. In aliis quoque habitibus & potentiis *operabile* debet explicari ; nam obiectum Medicinæ non est corpus vt potest fieri *sanum*, sed corpus quod fit & debet fieri *sanum*. Obiectum intellectus practici non est ens quod potest intelligi, sed ens quod debet intelligi & intelligitur actu. Obiectum intellectus speculatiui est ens quod mouere potest intellectum. Idem statuendum est de oculo.

Dico secundò, operationem mentis vt directiuam, seu pro vt est idea operationis rectè faciendæ, non esse obiectum formale Logicæ. Contra Valium, & eos omnes qui ponunt modum sciendi, entia rationis Logicæ, idest præcepta, esse obiectum Logicæ. Vnde probari debet omnibus rationibus contra ipsos allatis *sectione prima*, & nuper contra operationes dirigibiles : valent enim eodem modo contra operationes directiuas.

Primò enim ratio formalis illa solùm est in scientiis & artibus, quam illæ inducunt in suam materiam : huiusmodi non est operatio directiua, seu ratio ideæ, quam Logica supponit, non facit. Deinde in hoc scientia practica differt à speculatiua, quòd ista cognoscat tantum obiectum suum, non autem illud operetur. Vnde arguo, Logica cognoscit tantum operationem directiuam, non illam facit : obiectum Logicæ non cognoscitur duntaxat, sed etiam fit à Logica : ergo illa operatio directiua non est obiectum Logicæ proprium & adequatum.

Obicitur primò. Illud est obiectum Logicæ, cuius principia & passionis traduntur à Logica : huiusmodi sunt operationes directiue, seu præcepta : ergo, &c. Probatur maior, quia in Logica, quæ scientia est, debet poni obiectum non sicut in artibus, sed sicut in scientiis poni solet : sed in scientiis aliis, obiectum illud assignatur, cuius principia, & passionis in ea considerantur : ergo & in Logica. Probatur nunc minor, quia certum est principia, partes & passionis definitionis, diuisionis, & demonstrationis considerari à Logica ; illæ autem instrumenta sunt sciendi : ergo Logica considerat principia, partes, & passionis operationum directiuarum.

Resp. negando illud esse obiectum scientiæ practicæ, cuius passionis & principia considerat talis scientia : nam hoc est obiectum talis scientiæ ; in quod inducitur forma scientiæ ; illud videlicet est, in quo ars & scientia conueniunt, quòd formam suam vtrique inducat in suum subiectum : sed scientia necessarîo & scientificè ; ars, verò contingenter, & non vbiq; eodem modo. Obiectum igitur Logicæ debet assignari sicut in scientiis pra-

ticis, non sicut in speculatiuis ; atque adeò id quod fit à Logica est obiectum eius.

Obicitur secundò. Illud est obiectum scientiæ, secunda quo posito, ponitur scientia ; quo sublato, tollitur ; sed positis præceptis ponitur scientia logica, sublatis tollitur ; positis enim præceptis, sublatis aliis quibuscunque, diriguntur operationes aliarum scientiarum ; sublatis præceptis non diriguntur : igitur solæ operationes directiue, seu præcepta sunt obiectum Logicæ.

Resp. distinguendo maiorem. Illud est obiectum scientiæ quo posito, ponitur quasi in actu primo & incompletè, nego ; quo posito ponitur in actu secundo & completè, concedo. Positis præceptis fateor poni solùm incompletè, & in actu primo Logicam ; nego poni eam in actu secundo & completè ; positis enim præceptis poterunt dirigi operationes aliarum scientiarum à Logica, scilicet, quæ circa illas operabitur & applicabit præcepta sua operationibus earum. Sed non diriguntur tamen actu, si sola sint præcepta.

Obicitur tertio. Illud est Logicæ obiectum, quo Logica suum assequitur proprium finem, seu cuius cognitione scientia suas dirigit operationes : Logica suum finem assequitur cognitione præceptorum : ergo, &c. maior est clara, nam idem est obiectum scientiæ, & actus eius præstantissimi : obiectum actus Logicæ præstantissimi est id, quo scientia suum finem assequitur : ergo illud est etiam obiectum scientiæ.

Resp. distinguendo : id, quo scientia formaliter assequitur suum finem est proprium obiectum scientiæ, concedo ; nam in practicis, vt habetur ex Philosopho, *finis & obiectum in practicois vnum sunt* ; illud quo scientia efficienter assequitur suum finem est eius obiectum, nego. Idea cum sit in genere causæ solùm efficientis, est quidem id, quo scientia vel ars efficienter assequitur suum finem, sed non est id, quo illum assequitur finem formaliter.

Dico ergo tertio, formale obiectum scientiæ Logicæ est reitudo in fieri, obiectum verò adequatum est ipsa operatio recta, non in facto esse, sed in fieri, seu operatio ipsa recta faciendæ, quæ scilicet non solùm fieri potest, sed fit & debet fieri recta : sic omnino explicari debent omnes, qui ponunt obiectum Logicæ operationem dirigibilem, & directam.

Ratio autem primò est, quia huiusmodi operationibus vt dirigendis conditiones omnes conueniunt obiecti practici : ergo illud est eius obiectum : ergo tales operationes sunt obiectum Logicæ quæ practica est, vt probabo. Probatur antecedens, quia conditiones quatuor sunt. Prima, vt illud sit aliquid vnum : secunda, vt distinguat scientiam à quolibet alio : tertia, vt primò & per se intendatur à scientia, reliqua verò propter ipsum : quarta, vt illud sit aliquid operabile vt sic. Hæc omnia conueniunt operationi rectæ vt faciendæ, est enim vt sic aliquid vnum ; distinguit Logicam ab aliis scientiis, ad illam reuocantur omnia, quæ tractantur in Logica ; & est aliquid operabile, cum non supponatur facta, sed actu fiat & fieri debeat recta hic & nunc. Ergo illa operatio recta pro vt in fieri est verum obiectum Logicæ.

Secundò, vt nuper argumentabar, illud scientiæ practicæ obiectum est, quod illa scientia primò & per se intendit facere & facit. Logica primò & per se intendit facere, & facit operationem rectam : ergo illa est, &c.

Denique sequitur ex refutatione data omnium aliarum sententiarum, si enim nec operatio dirigibilis,

Operatio vt directiua non est obiectum.

Duplex probatio.

Prima obiectio.

Tertia.

Verum Logicæ obiectum.

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.



# 10 Philosophiæ Peripateticæ Liber I.

bitis, neque directi in facto esse, neque directiva, A  
est obiectum Logica; sola operatio recta in fieri,  
sua faciendâ est tale obiectum. Probatum est ha-  
ctenus, illas operationes non esse Logicae obie-  
ctum: ergo sola hoc habet operatio directa in  
fieri.

Prima obie-  
ctio.

Obiicitur primò: illud est obiectum scientiæ,  
quod primò & per se intenditur à tali scientia, quo  
posito ponitur, & per quod assequitur formaliter  
suum finem: operatio recta in facto esse huius-  
modi est, nam illam intendit sine dubio Logica  
primò & per se, illa posita ponitur Logica, &  
per eam Logica suum proprium finem assequi-  
tur: ergo Logica obiectum est operatio recta in  
facto esse.

Resp. distinguendo maiorem: obiectum illud B  
est in scientiis practicis, quod primò & per se in-  
tenditur, &c. si sit aliquid in facto esse, negatur;  
si sit in fieri, concedo. Illud enim quod scientia  
primò & per se intendit, si sumatur prout iam fa-  
ctum, est obiectum scientiæ speculatiue, non est  
obiectum scientiæ practicæ, sed illud idem prout  
est in fieri. Idem ad alia respondeo, quo posito po-  
nitur scientia, per quod assequitur formaliter  
suum finem.

Instantia.

Instantis: in practicis finis & obiectum idem  
sunt: sed Logica finis est operatio recta in facto  
esse: ergo illa est obiectum eius.

Resp. obiectum practicum posse considerari vel  
in fieri, vel in facto esse, unde distinguitur maior, C  
in practicis obiectum & finis in fieri sunt idem,  
concedo: obiectum & finis in facto esse idem sunt,  
nego. Finis autem in facto esse ipsius Logicae ope-  
ratio est recta, sed non est finis in fieri, unde nec  
est obiectum eius.

Secunda  
obiectio.

Obiicitur secundò: illud non est obiectum pra-  
cticum, quod non est aliquid operabile: sed ope-  
ratio, quæ debet fieri recta non est aliquid ope-  
rabile: ergo non est obiectum practicum. Probatum  
minor, illud non est aliquid operabile, quod  
supponitur in operationibus ante quamcunque  
considerationem logicam: sed operationes suppo-  
nuntur debere fieri rectæ ante quamcunque con-  
siderationem logicam: ergo non sunt aliquid  
operabile.

Resp. debitum rectitudinis, aliud esse proxi-  
mum, aliud remotum. Proximum est illud quo ope-  
rationes dicuntur fieri rectæ in fieri, remotum est  
illud quo dicuntur exigere ut fiant rectæ, & hoc  
non est aliquid operabile in operationibus men-  
tis; debitum autem proximum est aliquid operabi-  
le, & est obiectum Logicae: distinguitur ergo mi-  
nor, operationes supponuntur debere fieri rectæ  
ante quamcunque considerationem logicam, sup-  
ponuntur debere remotè, concedo; debere proxi-  
mè, nego.

Tertia obie-  
ctio.

Obiicitur tertio: quando Logicus dormit habet  
verè Logicam, cuius aliquod est obiectum: sed  
tunc nulla est operatio in fieri: ergo obiectum Lo-  
gicae non est operatio in fieri.

Resp. per operationem in fieri me intelligere  
operationem, quæ fit recta quando erumpit in  
actum operatio habitualis. Quando ergo dormit  
Logicus, & Logica habitualis non erumpit in  
actum, tunc etiam operatio recta in fieri est obie-  
ctum Logicae, idest operatio, quæ fit recta dum  
Logica in actum erumpit.

## QVÆSTIO II.

### De habitu Logicae.

EXposui hactenus obiectum proprium huius  
disciplinae, quo continetur eius differentia,  
ex eius autem notitia facillimè colligitur tota illius  
natura & proprietates: cum enim habitus intel-  
lectus, qui vocantur virtutes, quinque à Philoso-  
pho numerentur, intellectus, sapientia, scientia,  
prudentia, & ars, meritò quaeritur ad quem ex ha-  
bitibus illis Logica pertineat, quæ sine dubio ve-  
rum semper infallibiliter attingit, atque aded vir-  
tus est intellectualis: constat verò illam non esse  
intellectum, quæ habitus est primorum principio-  
rum; nec sapientiam, quæ sola est Metaphysica,  
nec prudentiam, quæ solos actus voluntatis diri-  
git; superest ut illa non sit nisi vel ars, vel scientia.  
Hoc ergo ut iudicari rectè possit, quatuor video  
necessaria: primò qualis sit Logica diuisio in Do-  
centem & Vttem: secundò an illa sit scientia:  
tertiò an sit practica, an speculativa: quartò an sit  
ad alias acquirendas scientias necessaria.

Virtutes in-  
tellectuales.

## SECTIO I.

### Quotplex sit Logica.

CERTum est primò tripliciter diuidi solere Logi-  
cam. Primò in naturalem, & artificiosam: se-  
cundò in actualement & habitualement, tertio in do-  
centem & vttem. Logica naturalis est ipsemet  
intellectus quo apprehendimus, iudicamus, dis-  
currimus: seu ipsum lumen naturale dictans quo-  
modo discurrendum sit, quis syllogismus sit re-  
ctus. Artificialis est disciplina quadam qua in-  
struitur intellectus ad exercendas rectè suas ope-  
rationes, & qua ipsæ operationes diriguntur. Et hæc  
diuiditur in actualement, quæ actus est intellectus  
quo scimus quomodo definiendum, enuncian-  
dum, argumentandum sit: & habitualement, quæ  
est qualitas producta in intellectu per tales actus,  
& promptum reddens ad eos facillè repetendos. So-  
letque communiter diuidi in docentem & vttem,  
de qua sola diuisione hic disputatur.

Triplex Lo-  
gica diuisio.

Certum enim secundò est multipliciter à Docto-  
ribus explicari hanc diuisionem; primò enim illi  
omnes qui ponunt præcepta esse obiectum Logi-  
cæ, volunt Logicam Docentem illam esse, quæ tra-  
dit præcepta, & ideam rectæ operationis: Vttem  
esse alias omnes scientias, quatenus vtuntur Logicae  
præceptis. Secundò alij cum Fonseca volunt totam  
Logicam esse docentem, solam autem partem illam,  
quæ topica est vocari vttem. Tertio communius  
dicitur totam Logicam esse docentem, & totam esse  
vttem, sub duplici respectu. Pro qua sententia  
omnino vera

Triplex ex-  
plicatio Lo-  
gicae docen-  
tis & vtten-  
tis.

Dico primò, Logicam docentem esse totam Logi-  
cam, quatenus in genere tradit modum ratiocinan-  
di, nulli certæ materiæ illum applicans; & eandem  
totam esse vttem quatenus huiusmodi præcepta  
certæ alicui materiæ aliarum scientiarum applicat.  
Ita post S. Thomam opusculo 70. q. 6. art. 1. & Sco-  
tum quæst. 1. in prædicamentis, docent Sotus, Tolerus,  
& alij communis: hoc autem antequam probem.

Obsèrva reperiri duo in qualibet demonstratio-  
ne, materiam videlicet & formam: materia est id, de  
quo fit demonstratio, ut homo, Angelus, &c. quo-  
rum

Quilibet  
demonstra-  
tio duo  
continet.



# Disp. I. Quæst. II. de Habitu Logicæ. 11

rum aliqua demonstratur proprietates, forma seu artificium est dispositio recta terminorum, ita ut sequatur conclusio. Quælibet verò demonstratio secundum materiam pertinet ad propriam scientiam, secundum artificium pertinet ad Logicam, quæ tunc vocatur vtens, quando formam artificiosam tribuit operationi alicui aliarum scientiarum. Habes ergo Logicam docentem cum dicis generatim v.g. syllogismum constare debere tribus terminis sic, vel sic dispositis: cum verò actu rem quampiam definimus, aut aliquem conficimus syllogismum, habemus Logicam vtentem.

Prima probatio.

Ratio ergo assertionis est primò, quia illa est Logica vtens quæ dat facilitatem ad operandum: tota Logica hoc facit, non autem alie scientie, vel pars tantum aliqua Logicæ: ergo tota Logica est vtens, non autem alie scientie, vel pars vna Logicæ. Probatur minor, impossibile est ut aliqua scientia practica tradat modum operandi, & non det facilitatem ad operandum: sed tota Logica quatenus docens præcepta, tradit modum operandi: ergo tota Logica dat facilitatem ad operandum, ergo eadem tota Logica est vtens & docens.

Secunda probatio.

Secundò, si alie scientie prout Logicæ vtuntur, essent Logica vtens, non esset bona Logica diuisio in vtentem & docentem, quam tamen omnes approbant veteres & noui Philosophi. Probatur hoc sequi. Ad bonam diuisionem exigitur, ut membra diuisoria contineantur in toto diuiso, sed si Logica vtens sint alie scientie, non continebuntur in ipsa Logica: ergo male Logica diuidetur in docentem, & vtentem, quæ non est Logica; sicut substantia male diuideretur in substantiam & accedens.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Hic actus, [Definitio est oratio explicans naturam rei] vel pertinet ad Logicam docentem, vel ad Logicam vtentem: ad neutram pertinet: ergo illa non est bona diuisio. Primò enim non pertinet ad docentem, quia est exercitium definitionis, definit enim quid sit definitio; Logica autem docens non elicit illos actus. Non ad vtentem, Logica enim vtens supponit Logicam docentem: iste autem actus cum supponatur esse omnium primus, nihil supponit. Deinde si actus iste pertineret ad Logicam vtentem, esset reflexus supra se ipsum, quod est impossibile: ergo illa diuisio non est bona.

Resp. Logicam vtentem esse illam, quæ applicat præcepta certæ materiæ pertinenti ad alias scientias, vnde dico hunc actum, [Definitio est oratio explicans naturam rei], pertinere ad Logicam docentem, quia non est exercitium præcepti applicatum materiæ aliarum scientiarum. Logica ergo docens elicit multos actus, qui sunt præcepta, sed non elicit actus quos applicet materiæ aliarum scientiarum.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò, si Logica vtens esset ipse habitus Logicæ, alie scientie non essent ratiocinatiue, sicut non essent scientie. Si enim vna scientia efficeret omnes demonstrationes, illa sola sine dubio esset scientia.

Resp. distinguendo, si Logica vtens esset ipse habitus Logicæ, alie scientie non essent perfectæ ratiocinatiue, nec perfectæ scientie sine Logica artificiali, concedo; non essent imperfectæ ratiocinatiue scientie sine Logica illa artificiali, cum præsidio tamen Logicæ naturalis, nego. Neque hinc sequitur quod sola Logica sit perfecta scientia, sed tantum quod sine Logica nulla est perfecta scientia, quia illa instrumentum est vniuersale omnium scientiarum, sicut Deus est causa prima omnium effectuum. Deinde verum est, quod si vna scientia ef-

ficit omnes definitiones & demonstrationes secundum materiam & formam, vna est tantum scientia: si autem vna efficit secundum formam differendū, alie secundum materiam, nego vnā tantum esse scientiam.

Obiicitur tertio. Habitus non concurret nisi ad proprios actus, sed actus aliarum scientiarum non sunt proprii Logicæ: ergo habitus Logicæ ad illos non concurret.

Tertia obiectio.

Resp. distinguendo minorem, actus aliarum scientiarum non sunt proprii Logicæ secundum materiam, concedo; secundum formam artificiosam, nego.

Logica tota est vnus habitus.

Dico secundò Logicam vtentem & Logicam docentem vnicum realiter esse habitum, duos autem formaliter inter se distinctos, secundum duo diuersa munera & duas formalitates distinctas, tradendi præcepta, & illis vtendi.

Ratio eadem illa est, quam nuper attuli, quia scilicet nullus habitus practicus tradere potest modum operandi, quin inclinet ad operandum, Logica vt est docens docet modum operandi: ergo illa eadem inclinat ad operandum, quod est esse Logicam vtentem. A priori esse potest ratio, quia vnus habitus inclinat ad actum vniuersalem & ad actum particularem sub eo contentum, quod facillima inductione probari potest.

Probatio.

Obiicitur primò. Illi habitus sunt distincti, quorum actus sunt distincti: sed actus Logicæ vtentis distinguuntur ab actibus Logicæ docentis, ut ex dictis patet: ergo habitus etiam sunt distincti.

Prima obiectio.

Resp. distinguendo maiorem, illi habitus sunt distincti realiter quorum actus sunt distincti, nego: illi habitus sunt distincti formaliter, concedo; fateor enim Logicam vt est docens, distinguere formaliter à Logica prout est vtens, quia (vt dixi) vnus habitus duo habet munera, ratione vnus est Logica docens, ratione alterius est Logica vtens.

Obiicitur secundò. Toties multiplex est realiter habitus, quoties adest noua difficultas superanda, vt patebit ex dicendis infra de habitibus: sed cum sciuntur præcepta, superest noua difficultas illis vtendi, sicut non quisquis scit præcepta saltandi, vel citharizandi, potest saltare vel citharizare.

Secunda obiectio.

Resp. verum esse quod vbi est noua difficultas insuperabilis per priorem habitum, toties nouus habitus requiritur: sed nego eam qui nouit præcepta recte discurrendi, pati posse nouam vllam difficultatem in eorum vfu, cum vfu pendeat ab eadem potentia quæ nouit præcepta: in quo est discrimen saltationis & citharizationis; præcepta enim pendunt à cognitione intellectus, saltatio verò pender à pedibus, citharizatio à digitis, in quibus requiritur nouus habitus.

Obiicitur tertio. Præcepta de virtutibus tradit scientia Ethica, quæ prudentia est: Temperantia verò & alie virtutes illis vtuntur: ergo etiam à pari vnus est habitus Logicæ, qui tradit præcepta discurrendi, alter qui illis vtitur.

Tertia obiectio.

Resp. negando consequentiam, disparitas enim est, quia pro virtutibus duplex difficultas est, scire quid agendum sit, & agere, cum pendeat ab indeterminatione duplicis potentie; quod non valet pro præceptis Logicæ ac eorum vfu.

## SECTIO II.

*Verum Logica sit scientia: an verò sit ars.*

Certum est primò, scientiam proprie dictam esse cognitionem rei certam & euidentem, habitum per discursum, vt patebit ex disp. 5. Constat autem ex ea definitione

Scientia quid exigit.



definitione scientiæ, quas ad eam condiciones necessariò requiri. Prima est vt obiectum habeat necessarium, quod non possit se aliter habere, alioqui non esset certa & euidens, quia versaretur circa rem incertam. Altera est vt cognitio illa certa per veram pariat demonstrationem, idest per discursum, cuius medium sit vel causa, vel aliquid aliud necessariò coniunctum cum predicato & subiecto; nam scientia in eo differt ab habitu principiorum, quod ex sola explicatione terminorum sine vilo discursu cognoscit principia; scientia verò discurret, & veras demonstrationes habeat.

Quid sit ars,  
& quanam  
exigat.

Certum est secundò artem propriè dictam rectè definiri, *Est habitus recta cum ratione effectivus*, vt habetur ex 6. *Ethic. c. 4.* idest habitus intellectivus, qui principium est externæ operationis, & transcuntis, vt ars ædificatoria est habitus intellectus, qui principium est domus extruendæ. Ex qua definitione artis colligitur tria requiri ad veram artem. Primò, vt habeat notitias & regulas vniuersales, quomodo faciendum sit aliquod opus, quas quisquis sequitur, benè semper, ac infallibiliter operetur. Ratio est, quia omnis ars, quæ principium est operis externi, non aliter illud principiat quàm dictando quomodo illud sit faciendum, est enim idea & regula rectè faciendi extra se operis: ergo necesse est vt regulas habeat vniuersales & infallibiles. Secundò requiritur, vt obiectum artis sit aliquid factibile, non autem aliquid agibile, idest, debet esse opus aliquod externum, non autem aliquid internum in ipso manens operante; sic enim distinguit Philosophus loco illo citato 6. *Ethic. actiūm & factiūm*: actiūm, quod appellat *πρακτικόν*, est principium operis interni manentis semper in eo qui operatur; sic enim prudentia v. g. est actiua, quia regulat amores, gaudia, & alios actus voluntatis. Factiūm autem quod vocat *ποιητικόν*, est principium operis externi, quod plerumque non manet in operante, vt ars ædificandi; aliquando manet, vt ars saltandi, cuius actus immanens est, sed semper externus. Tertiò exigitur ad artem vt nullæ in ea sint demonstrationes, alioqui scientia erit, non autem ars, quatum solum illud esse potest discrimen, quod vna demonstratio habet, altera non habeat, cum tamen vtraque habeat opus infallibile, & regulas vniuersales ac prorsus infallibiles. Hoc posito queritur vtrum Logica tum docenti, tum videnti definitio & ratio artis conueniat: an verò proprius character scientiæ.

Logicam  
docentem  
esse scientiam.

Prima probatio.

Dico primò, Logicam docentem nullo modo esse artem, sed veram & propriè dictam scientiam. Ita docent cum S. Thoma 4. *Metaphysica, lect. 4.* & Scoto q. 1. in *predicab.* Sotus, Toletus, Fonseca. Negant plerique cum Vasquez prima 2. *disp. 85. num. 6.* Contra quos

Ratio est primò illa quam indicabam. Illa est vera scientia, non autem ars, quæ de obiecto suo demonstrat passionem per demonstrationes certas & euidentes; Logica docens huiusmodi est, Logica enim non solum considerat suum obiectum, & tradit regulas, sed euidenter etiam illas probat; ista enim v. g. est vera demonstratio, *Oratio explicans naturam rei, debet esse clarior ipsa re*: definitio est oratio explicans naturam rei: ergo definitio debet esse clarior re quæ definitur. Item ista, *Syllogismus qui procedit ex præmissis probabilibus inferit conclusionem probabilem*; syllogismus dialecticus procedit ex præmissis probabilibus: ergo inferit conclusionem probabilem, ergo Logica docens est vera scientia.

Secunda probatio.

Secundò rectitudo operationum mentis est ali-

quod obiectum scibile per aliquam scientiam; illa non potest esse alia quàm Logica, rectitudo enim vt faciendū non spectatur à Physica: ergo Logica est scientia. Imò ars, vt dixi, versatur circa externos actus, Logica non versatur, nisi circa operationes intellectus: ergo Logica non est ars, sed scientia.

Obiicitur primò. Id, quod est modus sciendi non est scientia; sicut instrumentum artis non est ars, vnde dicit Philosophus, *absurdum esse querere simul scientiam & modum sciendi*: Logica est modus sciendi: ergo Logica non est scientia, vt etiam satis aperte habetur lib. primo *Rhetoricorum, c. 1.*

Prima obiectio.

Resp. modum sciendi esse potius obiectum pariale Logicæ, quàm ipsam Logicam, quæ minus propriè vocatur ab Aristotele modus sciendi, quia tradit modum sciendi, & est vera scientia. Aristoteles quando dicit fatuum esse querere simul modum sciendi & scientiam, significat neminem debere dare operam scientiis quæ non tradunt modum sciendi, quin prius studuerit Logicæ, à qua ille traditur: non negat autem Logicam esse scientiam.

Obiicitur secundò. Ille habitus non est scientificus cuius obiectum non est necessarium, sed potest se aliter & aliter habere: obiectum Logicæ potest se aliter habere, nec est necessarium; sunt enim operationes, quæ possunt benè vel malè fieri, vel etiam fieri & non fieri: ergo Logica non est scientia.

Secunda obiectio.

Resp. non requiri ad veram scientiam vt habeat obiectum necessarium secundum exercitium, sed satis esse quod sit necessarium secundum specificationem. Huiusmodi est Logicæ obiectum; nam operationes mentis quatenus sunt propositiones vniuersales docentes quid fieri debeat, sunt omnino necessariae, v. g. cum dicitur syllogismus constare debere tribus terminis, demonstrationem debere procedere ex veris & necessariis. Hoc est quod vocatur necessarium secundum specificationem. Si verò spectentur quatenus sunt iste vel iste syllogismus factus à Petro & Paulo, non sunt obiectum necessarium & perpetuum. Hoc est non esse necessarium secundum exercitium. Idest secundum existentiam non est necessarium obiectum Logicæ, sicut neque obiectum Physicæ, sed est secundum essentiam verè necessarium, & cognitum per veram demonstrationem; quod vltimum deest obiecto artis, est enim necessarium secundum essentiam, sed ars non illud cognoscit per demonstrationes.

Obiicitur tertio. Illa pars non est scientia quæ discurrit tantum probabiliter: aliqua pars Logicæ discurrit solum probabiliter: ergo aliqua pars Logicæ non est scientia.

Tertia obiectio.

Resp. negando quod Topica discurrat solum probabiliter, nam aliud est discurrere solum probabiliter, aliud scientificè docere quomodo discurrendum sit in materia probabili: hoc primum conuenit opinioni, alterum conuenit propriæ scientiæ, quæ Logica est. Similiter etiam pars illa Logicæ quæ agit de sophismatibus non errat, sed scientificè docet quomodo error debeat vitari.

Instantis. Multa sunt in Logica, quæ non cognoscuntur nisi probabiliter: ergo Logica saltem secundum illas partes non est scientia.

Instantia.

Resp. concedendo totum; id enim est commune Logicæ cum aliis omnibus scientiis vt habità ratione nostræ ignorantia, plenæ sint opinionibus & erroribus; Logica itaque in se ipsa vera est scientia, Logici autem sæpè opinantur, sapius errant.

Obiicitur quartò. Illa non est scientia, quæ non declarat obiectum suum ex propriis principiis, nec

Quarta obiectio.



nec suarum conclusionum reddit rationem: Logica huiusmodi est; non enim declarat instrumenta sciendi, sed Animastica sola, vel Metaphysica, v. g. cum dicit Logicus: *Definitio est ratio explicans naturam rei*, non cognoscit quæ Logicus, quid sit rei essentia, sed quæ Metaphysicus: ergo Logica non est scientia.

Resp. distinguendo minorem: Logica non declarat instrumenta sciendi secundum artificium, id est secundum eorum modum & dispositionem, quam in conceptibus nostris habere debent, nego; quatenus illa fundantur in rebus quibus illa esse debent proportionata, concedo. V. g. declarat Metaphysica in communi, quid sit essentia, & qualis etiam sit, simplexne, an composita. Dialectica verò tractat de modo quo illa concipi debet, & declarari distinctè per veram definitionem; seu ex quibus conceptibus & vocibus componenda sit definitio, quasve proprietates habere debeat, ut apta sit.

Dico secundò, Logicam vtentem præcisè sumptam, quatenus est vtens, non esse scientiam; si autem sumatur simul cum docente, veram esse scientiam.

Ratio est, quia illa, ut sæpe dixi, non est scientia, in qua non sunt ullæ demonstrationes: Logica vtens, quatenus est vtens, non habet ullas demonstrationes, cum illas omnes, quæ ostendunt in genere directionem operationum mentis, certum sit pertinere ad Logicam docentem: ergo Logica vtens seorsum sumpta sine docente, non est scientia; præsertim cum illa non spectet nisi exercitium operationum mentis, quod, ut dixi, non est necessarium. Deinde, idè scientia subalternata præcisè sumpta sine subalternante non est scientia, quia sumit sua principia ut probata per subalternantem: Logica vtens principia sua sumit ut probata per Logicam docentem: ergo si præcisè sumatur, non est scientia.

Obiicitur primò. Logica vtens concurrat ad demonstrationem particularem: sed tunc habet veras demonstrationes: ergo Logica vtens ut sic habet demonstrationes, & est scientia.

Resp. distinguendo minorem: quando Logica vtens concurrat ad demonstrationes, habet demonstrationes, quæ sunt demonstrationes secundum materiam, & propriæ aliarum scientiarum, concedo; quæ sint demonstrationes secundum artificium Logicum, quatenus pertinent ad Logicam vtentem, nego. V. g. hæc demonstratio: *Omne rationale est risibile*, &c. secundum artificium præcisè ut est à Logica vtente, non est demonstratio, nisi Logica vtens sumatur cum Logica docente.

Obiicitur secundò. Logica vtens vnus est & idem habitus cum Logica docente: Logica docens est scientia: ergo Logica etiam vtens scientia est.

Resp. vnum & eundem realiter habitum esse posse scientiam, & non scientiam, secundum diuersas formalitates. Fateor Logicam vtentem & docentem esse vnum realiter habitum, sed formaliter, ut dixi, diuersus est: idè Logica ut docens esse potest scientia, non quatenus vtens.

Obiicitur terciò, Logicam vtentem reuocari debere ad aliquem habitum: non est ars, ut patet: ergo est scientia.

Resp. Logicam vtentem reuocari ad habitum scientiæ, quia etsi præcisè sumpta non sit scientia; tamen quia sumi debet ut dependens à Logica docente, idè spectat ad habitum scientiæ, sicut scientia subalternata reuocatur ad scientiam, quia sumitur ut vnum quid cum subalternante.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

SECTIO III.

Utrum Logica scientia sit speculatiua, an practica.

Certum est primò, scientiam speculatiuam appellari eam, cuius cognitio ex natura sua non ordinatur ad opus, sed ad solam cognitionem obiecti sui, in qua etiam sistit. Dixi, ex sua natura; quia duplex in qualibet scientia distinguendus est finis: alter intrinsecus, qui dicitur finis operis; alter extrinsecus, qui vocatur finis operantis. Intrinsecus est is, ad quem scientia ordinatur ex natura sua; extrinsecus est is, quæ sibi quilibet pro arbitrio suo proponit, ut si Physica studeas, ut lucrum ex notitia illa colligas.

Certum est, secundam illam appellari practicam, cuius cognitio ex natura sua ordinatur ad aliquod opus regulabile per rectam rationem; id est, illa, quæ considerat obiectum aliquod operabile modo operabili, dirigendo nimirum illud ad opus, & tradendo regulas, & præcepta operandi: Medicina v. g. considerat sanitatem ut dandam ægrotis, non autem sistit in sola eius cognitione. Prima definitio, ut vides, traditur per finem intrinsecum, altera per obiectum formale, quæ idem omnino sunt. Practica igitur scientia conuenit cum speculatiua, quod utraque cognoscat; differt, quod practica non sistat in cognitione, sed cognoscat ut operetur, iuxta illud Philosophi secundo Metaphys. textu 3. *Finis speculatiua, veritas; finis practica opus*. Et rectè ad mentem eius Auerroës: *Per speculatiuam, inquit, scimus ut sciamus; per practicam scimus ut operemur*. Sed hæc plenius dabo disp. prima. Metaphys. agens de scientia in genere. Nunc his positis

Dico primò, Logicam non esse simpliciter speculatiuam, sed esse aliquo saltem proprio modo practicam. Ita docent cum S. Thoma Suarez, Vaf. ques. 5. Sotum, Masium, Toletum.

Ratio est, quia illa scientia, ut dixi, practica est, quæ versatur circa obiectum operabile modo operabili: Logica versatur circa huiusmodi obiectum; versatur enim circa mentis operationes dantio præcepta de illis dirigendis; quod est versari circa operabile modo operabili: ergo practica est. Deinde Logica non sistit in cognitione sola obiecti sui, sed illam dirigit ad opus; non enim intendit solum cognoscere mentis operationes, sed docere quomodo illæ dirigi & disponi debeant, ut sint rectæ; non est ergo purè speculatiua. Imò mentis operationes quoad propriam naturam non sunt Logicæ considerationis, sed Physicæ: ergo pertinent ad Logicam prout subsunt directioni practicæ. Denique possibilis est scientia directiua operationum mentis, & illa dari debet; sicut possibilis est, & datur scientia directiua actuum voluntatis, quæ dicitur Moralis. Illa scientia Logica est, quæ propterea non est minus practica, quam Moralis.

Obiicitur primò. Illa scientia non est practica, quæ directiua non est operationis extra intellectum; *Praxis enim est operatio extranea intellectui, regulabilis ab intellectu*. Logica est directiua operationum intellectus, non autem operationum extra intellectum: ergo Logica non est practica.

Resp. praxim esse quamlibet operationem regulabilem à ratione, siue illa sit operatio intellectus, siue operatio alterius potentie; potest enim operatio vna intellectus regulari per aliam, atque aded esse potest praxis, ut ostendunt alibi contra Scotum. Patet ergo falsam esse maiorem argumenti propositi.

B Obiectio

Logica vtens non est scientia.

Probatio.

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.

DE RHODES



Secunda ob-  
iectio.

Obiicitur secundò. Illa scientia simpliciter speculatiua est, quæ modum operandi docet & demonstrat modo speculatiuo: huiusmodi est Logica, quia directio mentis operationum non fit à Logica nisi speculando naturam & proprietates operationum rectarum; sicut Geometria speculatiua est, quia licet doceat quomodo faciendæ sint figuræ, speculando tamen hoc docet: ergo Logica non est minus speculatiua, quàm Geometria.

Resp. negando, Logicam docere modum operandi modo speculatiuo; nam versari circa operabile modo operabili, ut dixi, est tradere regulas & modum, quo illud fieri debet; hoc autem facit Logica, ideo non versatur circa operabile nisi modo operabili. Neque obstat quod versetur circa operationes illas speculando; nego enim satis hoc esse ut dicatur versari circa operationes modo speculatiuo, cum Logica cognoscat ut operetur, quod est versari modo operabili. Geometriam fateor esse purè speculatiuam, quia non facit, nec docet modum faciendi figuræ, sed supponens eas iam factas, illas tantum speculatur, sicut Physica corpus naturale factum aut factibile supponens, illud speculatur.

Logicam esse  
practicam  
simpliciter.

Dico secundò, Logicam ita esse simpliciter practicam, ut nullo modo speculatiua sit, etiam secundum quid. Ita docent Recentiores cum Ochamo, Gregorio, Gabriele, Fonseca, & Conimbricenses contra Suarezem, Vasquezem, Hurtadum, Auerfam.

Probatio.

Ratio generalis est, quia nulla est scientia purè naturalis, quæ possit esse speculatiua simul & practica. Quod sic probò. Implicat ut vna & eadem scientia tendat in plura obiecta formalia essentialiter diuersa, & nullo modo inter se connexa: scientia speculatiua & practica tendunt in obiecta formalia diuersa essentialiter, & nullo modo inuicem connexa: ergo implicat ut scientia vna naturalis speculatiua sit & practica. Maior certa est, quia scientiæ specificantur ab obiectis formalibus adæquatis; quoties autem diuersa sunt obiecta, & nullo modo connexa, sunt obiecta adæquata. Minor ergo probatur. Operabile ut sic, & non operabile ut sic, sunt obiecta formalia diuersa essentialiter: scientia practica respicit operabile ut sic, speculatiua respicit non operabile ut sic: ergo illa respiciunt obiecta formalia diuersa.

Dixi, scientiam naturalem esse non posse speculatiuam simul & practicam; habitus enim supernaturales, qualis est fides, esse possunt speculatiui simul & practici, quia illi sæpè nituntur extrinseco motui, atque adeò in illis ratio speculatiui & practici se tenet ex parte obiecti materialis, non autem ex parte obiecti formalis. Non implicat ut idem habitus habeat obiecta materialia essentialiter diuersa, cum ab illis non specificetur: implicat ut habeat obiecta formalia diuersa essentialiter.

Prima ob-  
iectio.

Obiicitur primò. Illa scientia est speculatiua, saltem secundum quid, in qua multæ habentur cognitiones speculatiuæ; per quas intellectus non dirigitur in suis actibus: Logica multas habet huiusmodi cognitiones, v.g. istam: *Definitio non distinguitur à definito: Genus latius patet quàm differentia*: ergo, &c.

Resp. negando minorem; nullus enim actus est in Logica, qui ad directionem operationum mentis non ordinetur, quia illæ non pertinent ad Logicam nisi sub ea formalitate; alia verò quæcunque consideratio earum pertinet, ut dixi, ad Animasticam. Duæ illæ propositiones allatæ in argumento: *Definitio*, &c. ordinantur ad directionem operationum mentis Logicæ propriam; debet enim illa scire quod definitio distingui non debeat à definito, ut tradat

regulas rectæ definitionis, quod illa v.g. latius patere non possit quàm definitum.

Obiicitur secundò. Cognitio proprietatum quas habent operationes mentis, est speculatiua; nam eodem modo sunt syllogismi, siue cognoscantur illæ proprietates, siue non cognoscantur: cognitio illa pertinet ad Logicam: ergo Logica notitias habet verè speculatiuas.

Secunda  
obiectio.

Resp. quasdam esse proprietates operationum mentis, quarum cognitio non pertinet ad Logicam, sed ad Physicam; illæ possunt esse speculatiuæ: quæ verò pertinent ad Logicam, ordinantur ad opus, quia licet sine cognitione illarum fieri fortasse possint syllogismi, non possunt tamen scientificè fieri. Nam ut facias syllogismum scientificè, scire debes, quare ita facias; sique cognita tibi debent esse proprietates.

#### SECTIO IV.

*Verum Logica sit ad alias scientias necessaria.*

Certum est primò, posse duobus modis aliquid esse necessarium. Primò, simpliciter: secundò, secundum quid. Necessitas simpliciter est quando res haberi nequit sine tali medio, ut respiratio simpliciter ad vitam est homini necessaria. Necessitas secundum quid tunc esse dicitur, quando potest sine tali medio aliqua res haberi, sed difficilius: potes v. g. sine rheda, vel equo ire Romanam, sed difficilius.

Duplex ne-  
cessitas.

Certum est secundò, scientiam aliquam posse duplici modo acquiri; vel perfectè, vel imperfectè. Perfectè quando aliquis habet demonstrationem, & certò nouit illam esse demonstrationem: imperfectè, quando habet demonstrationem, sed non scit illam esse demonstrationem; tunc enim reuera scit, sed non scit se scire.

Scientia  
perfecta &  
imperfecta.

Dico primò, Logicam naturalem esse simpliciter necessariam ad acquirendas, etiam imperfectè, alias scientias.

Necessitas  
Logicæ natu-  
ralis.

Ratio manifesta est, quia sine vi discursiua nemo acquirere potest scientiam discursiuam: Logica naturalis est vis discursiua: ergo nullam scientiam acquirere quisquam potest sine Logica naturali.

Dico secundò, Logicam etiam artificialem esse simpliciter necessariam ad perfectè acquirendas alias scientias; non esse absolutè necessariam ad eas imperfectè acquirendas.

Necessitas  
Logicæ arti-  
ficialis.

Ratio est, quia quisquis perfectè aliquam habet scientiam, debet scire se scire, alioqui dubitare poterit utrum sciat; perfectæ verò scientia omnem excludit formidinem, etiam potentialem: sed sine artificiali Logica nemo scit se scire. Quod probò. Quicumque non scit se habere demonstrationem, & non sophisma, ille potest dubitare: sed qui Logicam non habet artificialem, non scit se habere demonstrationem, & non habere sophisma: ergo qui Logicam non habet artificialem, potest dubitare an erret.

Obiicitur primò. Si Logica esset ad acquirendas alias scientias necessaria, esset etiam necessaria ad acquirendam se ipsam, quod absurdum est, quia sic Logica se ipsam præsupponeret. Neque dicas, Logicam imperfectam esse necessariam ad se ipsam perfectam. Contrà enim est. Logica perfectæ est ad alias scientias acquirendas necessaria: ergo est necessaria etiam ad se ipsam. Deinde nemo dat quod non habet: ergo Logica imperfecta non potest dare perfectionem Logicæ perfectæ.

Prima ob-  
iectio.

Resp.



Resp. negando Logicam esse necessariam antecedenter ad se ipsam, sicut est ad alias scientias necessaria. Disparitas manifesta est, quia Logica per se ipsam formaliter scit se scire, alia scientia non hoc habent nisi ab ipsa Logica: unde Logica formaliter sibi sufficit ad sciendum perfectè, alia hoc habent à Logica. *Quod autem est essentialiter tale, est se ipso tale.* Aliorum responsio de Logica directa, seu imperfecta, quæ necessaria est ad se ipsam reflexam & perfectam, obscurior est, & difficilior.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Logica non est acquisita nisi per reflexionem super actus rectos: ergo est posterior aliis scientiis acquisitis, atque aded ad eas acquirendas non est necessaria.

Resp. distinguendo maiorem. Logica non est acquisita nisi per reflexionem super actus rectos perfectè scientificos, nego; super actus rectos imperfectè scientificos, concedo. Ideo Logica est acquisita post alias scientias imperfectè acquisitas, sed acquisita est ante alias scientias acquisitas perfectè; quia qui primos illos actus eliciebant, sciebant rem, sed non sciebant se scire.

Instantia.

Instantis: actus imperfectus gignere non potest perfectum habitum scientia: isti actus erant imperfecti: ergo gigni per eos non potuit scientia Logica nisi imperfecta.

Resp. actum imperfectum non posse gignere habitum scientia perfectum, ita ut sit causa illius adequata, sed posse gignere tanquam causam inadæquatam, & conditionem sine qua. Per vim intellectus ut causam non potuit gigni Logica perfecta: non fuit acquisita perfecta scientia per actus illos ut causam adequatam, sed per illos ut prævias conditiones, quibus positis, intellectus vi sua naturali se extendit, & perfectam peperit scientiam.

Tertia obiectio.

Obiicitur terriò. Intellectus per vim suam naturalem potest se reflectere supra suas operationes, & videre, an illæ rectæ sint; sed hoc sufficit ut sciamus nos scire: ergo ad hoc ut sciamus nos scire, necessaria non est Logica artificialis.

Resp. distinguendo maiorem, intellectus per solam naturæ vim potest reflectere se supra suas operationes, & videre an illæ rectæ sint, perfectè id sciendo, nego; sciendo imperfectè, concedo. Nunquam enim id perfectè sciet sine Logica artificiali, cuius hoc est munus proprium.



## DISPUTATIO II.

### De iis, quæ iuvant directionem primæ mentis operationis.



VM tota Logica, ut dixi hætenus, circa directionem occupetur trium mentis operationum, à prima mihi operatione, quæ apprehensio est simplex, video ducendum esse initium, cuius restitudo tribus eius vitiis repugnat: obscuritatem perspicuitas discutit, confusionem ordo componit, perturbationem regular distinctio eorum, quæ diversa sunt. Hæc tria ut assequi valeam, explicanda mihi: Primò, ens rationis. Secundò, prædicabilia. Terriò, prædicamenta.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

## QVÆSTIO I.

### De Ente rationis.

ENS rationis merum nihil, & tamen aliquid: entis negatio, & tamen entis indutum vestimento: tenebrosum quid, & in ipso fonte luminis natum: partus rationis se ipsam fallentis, figmentum mentis ludentis in nihilo, spectrum informæ formam habens in sinu intellectus. Nascitur dum cogitatur, cum ipsa sui cogitatione moriens, cum eadem sine miraculo resurgens: pingitur sine coloribus, imago sine prototypo, nulli similis nisi sibi. Agere de illo Metaphysici magis est muneris, quàm Dialectici, quia entis realis larva, & aduersarius est. Vindicat sibi tamen illud Logica, & quatuor de illo tradit. Primò, eius existentiam, seu an sit. Secundò, quidditatem, seu quid sit & quod sit. Terriò, à quo fiat. Quartò, per quam fiat actionem.

## SECTIO I.

### De existentia entis rationis.

CERTUM est primò, significari nomine *entis rationis*, aliquid pendens ab intellectu, qui solus ratio est. Potest autem aliquid ab intellectu pendere quadrupliciter. Primò, subiectivè, cuius subiectum est intellectus; sic enim actus & habitus inhereant intellectui ut subiecto. Secundò, effectivè, cuius causa productiva est intellectus: ita etiam procedunt ab intellectu omnes eius intellectiones. Terriò, denominativè, quod ab aliquo denominatur actu intellectus, ut cum aliquid denominatur propositio, syllogismus, &c. Quartò, obiectivè, quod obiectum intellectui, seu quod ab eo cognoscitur.

Quadruplex significatio entis rationis.

Certum autem est secundò, quod ea quæ obiectivè sunt in intellectu, in duplici possunt esse differentia. Primò enim aliqua ita sunt obiectivè in intellectu, ut habeant à parte rei suum esse, saltem possibile, quod representatur intellectui; & hæc entia realia sunt. Secundò, aliqua sic cognoscuntur ab intellectu ut nec habeant, neque habere possint esse à parte rei, sed solum dicantur esse quatenus cognoscuntur ab intellectu, quorum scilicet totum esse est cognosci. Hæc sunt quæ propriè vocantur entia rationis, & quaritur, an sit aliquod huiusmodi ens, quod sic fingatur ab intellectu, ut totum esse illius sit cogitari, & obiectum rationi.

Esse obiectivè in intellectu.

Dico primò, dari plura huiusmodi entia nullo modo realia, & purè non entia, quæ solummodo per modum entis cognoscuntur. Hæc est communis sententia, quam immeritò improbant Mirandulanus, Mayronis, Vallesius.

Affertio prior.

Ratio est, quia constat experientià, quod à nobis multa concipiuntur eodem modo ac si essent, quæ in se ipsis neque sunt, neque possunt esse. Chimæra enim & hircoceruus, neque sunt, neque possunt esse; & tamen concipiuntur ab intellectu eodem modo ac si essent. Illa sunt entia rationis propriè dicta, non enim habent esse nisi obiectivè in ipsa ratione, & concipiuntur quasi essent vera entia: ergo dantur propriè dicta entia rationis.

Probatio.

Dico secundò. Ens rationis propriè dictum non omni duntaxat caret existentia reali actuali, sed sterius.

Affertio posterior.

B 2 etiam



# 16 Philosophiæ Peripateticæ Liber I:

## SECTIO II.

### Quid sit ens rationis.

Probatio.

etiam possibili; aded vt verum ens rationis neque actu sit, neque possit vilo modo esse à parte rei. Contra Muradum *disp. 19. Metaphysica.*

Ratio est, quia ens rationis illud solum est quod opponitur enti reali: illud ens quod est possibile, omnino reale est, vt ostendam in *Metaphys.* actualis enim existentia est accidentalis enti reali: ergo non fit reale per existentia actualem, atque aded est reale antequam existat actu: ergo ens possibile non est ens rationis.

Prima obiectio.

Obiicitur primò: ens rationis est id quod non habet esse nisi dum cognoscitur: nullum datur huiusmodi ens: ergo non datur vllum ens rationis. Probatur minor. Illud non cognoscitur quod non est cognoscibile: solum ens reale est cognoscibile; veritas enim est proprietas entis realis: ergo ens rationis non cognoscitur. Imò, nulla est cognitio, quæ non supponat obiectum suum. Ergo non illud facit: ergo nullum est ens rationis, cuius esse totum sit cognosci.

Resp. distinguendo primam minorem, solum ens reale est directè ac primariò cognoscibile, concedo; secundariò & indirectè, nego. Illud dicitur primariò & directè cognoscibile quod solum sine vilo alio potest cognosci, vt cum cognoscitur à me homo. Illud secundariò tantum & indirectè cognoscibile est, quod non potest cognosci solum, sed necessariò cognosci debet ad modum alterius: ens rationis per se solum cognosci non potest, sed cognoscitur ad modum entis realis, vt ex sequentibus patebit. Fateor quod omnis cognitio supponit obiectum suum primariò à quo specificatur; non supponit obiectum secundariò ad quod terminatur tantum.

Secunda.

Obiicitur secundò. Implicat dari aliquam essentiam sine suis proprietatibus, genus sine speciebus, & speciem sine indiuiduis: si detur ens rationis, dari essentia poterit sine proprietatibus, genus sine speciebus, &c. tota enim essentia entis rationis est cognosci: sed potest intellectus considerare ens rationis in communi, & eius essentiam, non consideratis passionibus; dabitur ergo essentia sine proprietatibus, genus sine speciebus, species sine indiuiduis, si detur ens rationis.

Resp. distinguendo maiorem, implicat dari essentiam realem sine proprietatibus, genus reale sine speciebus, concedo; essentiam fictam, genus fictum, nego.

Tertia.

Obiicitur tertio. Illud habet aliquod esse à parte rei de quo dantur propositiones aliquæ veræ ac essentielles; de ente rationis dantur veræ propositiones essentielles, vt cum dico, *Ens rationis est finibile ab intellectu.*

Resp. negando maiorem; nam dari aliquando possunt veræ propositiones de ente ficto. Vt patebit magis ex dicendis *sect. 2.*

Quarta.

Obiicitur quarto. Illud est ens rationis quod habet tantum esse obiectiue in intellectu, ens illud quod non est actu, & potest esse, non habet actu esse nisi obiectiue in intellectu: ergo illud est verum ens rationis.

Resp. ens rationis esse illud quod neque actu, neque possibiliter habet vllum esse nisi solum in intellectu; si autem actu quidem non habeat vllum esse extra intellectum, sed habeat tamen esse possibile, nego illud esse ens rationis.

A

B

C

D

E

Certum est primò, ens rationis rectè definiri, vt ex dictis patet, *Id quod habet tantum esse obiectiue in intellectu.* Quod significat, ens rationis esse ens purè fictum ab intellectu; illud nimirum quod nec est, nec esse potest, & tamen cogitatur quasi esset. Nihil enim potest cogitari ab intellectu, quin dicatur esse in intellectu, sed representatiue ac obiectiue. Quia vnumquodque dicitur esse in sua imagine, cum esse representatiue in alio non sit aliud quàm ab alio representari; cognitio autem imago est, & representatio rei cognita: ergo res cognita est representatiue ac obiectiue in intellectu. Ided, vt dixi, habere in intellectu esse obiectiue, est ab intellectu cognosci. Quia verò, vt notabam nuper, quædam ita sunt obiectiue in intellectu, vt extra intellectum habeant existentiam, vel actualem, vel possibilem; quædam ita cognoscuntur esse, vt extra intellectum neque sint, neque possint esse; prima esse habent in intellectu, sed non tantum, & realia sunt: secunda verò habent tantum esse in intellectu obiectiue, quia totum eorum esse, tum actuale, tum possibile est cognosci esse, & sunt entia rationis, idea purè ficta. Ided requiritur ad ens rationis vt fingatur aliquid, idest, vt aliquid cognoscatur esse, quod tamen nec sit, nec esse possit: hoc est habere tantum esse obiectiue in intellectu.

Certum est secundò, definiti etiam ens rationis, *Secunda definitio.* Non ens conceptum per modum entis. Quia scilicet solum ens obiectum est intellectus, vt constat ex *Metaphysica*, quod autem est purum nihil, secundariò tantum terminare potest cognitionem, quæ semper primariò terminatur ad ens; idedque cum ens rationis à parte rei sit nihil, necesse est vt eius cognitio primariò terminetur ad ens, cum quo & ad cuius modum cogitetur non ens, estque verum ens rationis, quia est non ens conceptum per modum entis, quod nimirum nec est, nec esse potest, & tamen cogitatur esse quasi reuerà esset aliquid ens.

Posita ergo duplici entis rationis definitione, duplex manet difficultas. Primò, vtum ens rationis vt sic nihil habeat quod non sit omnino reale, an verò sit aliquid fictum, saltem vt est aliquid totum: secundò vtum denominationes extrinsecæ quælibet sicut vera entia rationis.

Dico primò, malè asseri ens rationis esse totum aliquid reale constans ex partibus realibus, quæ licet existere non possint eo modo quo intellectui obiciuntur, earum tamen vnio sit cognitio ipsa, non autem aliquid ex parte obiecti respondens illi cognitioni. Ita docuerunt hæcenus omnes Philosophi, quibus immeritò se opponit Herice *disp. 8. de Deo, cap. 1.* nouam excogitans sententiam pro qua citat Scotum *5. Metaph. q. 11.* & Conimbricenses *quest. 6. in præfationem Porphyrij.* Ad eam autem intelligendam

Obserua nullam esse cognitionem cui non cor-  
respondeat aliquid obiectum; si enim cognosco, certè aliquid cognosco, quod dicitur obiectum cognitionis: vnde quando fit ens rationis, v. g. cum cogito chimaram, cognitioni huic responderet obiectum aliquid reale, natura videlicet naturæ bouis, leonis, & capræ; & præterea fictum aliquid, nimirum trium illarum naturarum vnio. Sed hoc tamen vltimum negat loco citato Herice, nouum aliquid, & prorsus improbabile commentum meditatus; negat enim cognitioni  
tunc

Prima entis  
rationis de-  
finitio.

Secunda  
definitio.

Duplex  
controuer-  
sia.

Ens rationis  
habet ali-  
quid quod  
non est  
reale.

Explicatur  
sententia  
Herice.



tunc meæ cum chimæram cognosco respondere aliquid fictum, sed asserit omnia realia esse, quæ illi respondent, naturas videlicet illas tres, quarum vnio non sit aliud quam cognitio, cui nulla ex parte obiecti vnio ficta respondeat, ex quo fieri necesse sit vt in ente rationis nihil sit quod non sit reale, partes scilicet reales, & vnio realis, nempe cognitio terminata ad illa plura per modum vnus, & ens rationis definit totum aliquod inexistibile prout obicitur menti, cuius tamen omnes partes, & earum vnio reales sunt.

Controuersia igitur solum est, vtrum cognitioni chimære reales partes & realis earum vnio respondeat, quæ ipsa cognitio ipsa sit: an verò respondeant partes reales & vnio earum ficta, omnino distincta à cognitione; & obiectum cognitionis, primum illud Herice asserit, ego secundum cum communi sententia intendo.

Ratio est, quia quoties cogitur aliquid impossibile, respondet huic cogitationi aliquid quod est extra latitudinem totius entis realis; sed quando cogitur ens rationis, v. g. chimæra, cogitur aliquid impossibile: ergo huic cogitationi responderet aliquid quod est extra latitudinem totam entis: ergo in ente rationis non omnia sunt realia, sed est aliquid fictum. Probatior maior: quoties cogitur aliquid impossibile respondet huic cogitationi aliquid impossibile, chimæra v. g. responderet cogitationi chimære: sed ens impossibile est extra totam latitudinem entis realis: ergo tunc meæ cogitationi responderet aliquid quod est extra totam latitudinem entis realis. Deinde illud inexistibile prout obicitur menti est aliquod impossibile; sed illud potest à me cogitari, saltem reflexè: ergo potest aliquid impossibile à me cogitari saltem reflexè, possum v. g. cogitare, inò & affirmare tenebras esse nigredinem: possum cogitare tres essentias animalium esse vnitas, & esse vniam chimæram; tunc haud dubie cognitio non est vnio illarum naturarum, quas cogitare possum etiam separatas: ergo quando concipio illas coniunctas, earum vnio non est cognitio.

Obicitur primò. Implicat vt ens repræsentet non ens; nam illud quod repræsentat aliud, debet esse illi simile: sed si fingatur ens rationis, erit necesse vt ens repræsentet non ens: ergo implicat ens rationis eo modo fingi, sed omnia, quæ in eo sunt, realia sunt.

Resp. distinguendo maiorem, impossibile est vt ens repræsentet non ens, repræsentatione vera, concedo; repræsentatione ficta, nego: nam ad hoc vt vnium verè aliud repræsentet, requiritur vera similitudo; ad hoc vt repræsentet fictè, non necessariò debet habere veram similitudinem, sed satis est vt habeat fictam similitudinem, in eo sicut quod intellectus ponat vnium loco alterius.

Obicitur secundò: si ens ponitur loco non entis, ergo nihil responderet cognitioni præter ipsum ens à quo specificatur cognitio, v. g. cum quis cogitat chimæram, totum quod responderet cogitationi est triplex illa essentia, capræ, leonis & draconis: ergo nihil est ibi fictum.

Resp. negando primam consequentiam, quia cogitationi tunc responderet ens, sed positum loco non entis, v. g. cum cogito tenebras per modum nigredinis, non sola nigredo responderet meæ cogitationi, sed nigredo posita pro tenebris; non tres solum essentiae animalium respondent cognitioni chimære, sed illa prout vnitas inuicem; sic enim sunt ens rationis.

Dico secundò, denominationes extrinsecas, si

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A puræ sint non esse formaliter, sed fundamentaliter tantum entia rationis, quamuis si superaddatur eis fictio, esse possint entia rationis. Ita docent Suarez, Aueria, Hurtadus, Arriaga, contra Scotum, plures Thomistas, Vasquez, Masium, Tolertum. Antequam autem probem id quod asserui

Obserua denominationem extrinsecam appellari eam, quæ petitur à forma extrinseca, vt cum dicitur paries visus, homo subiectum propositionis; quod dupliciter enunciari potest. Primò ita vt concipiam visionem terminari solum extrinsece ad parietem, & sic nihil omnino fingitur, & est pura denominatio extrinseca. Secundò ita vt concipiam visionem quasi aliquid inherens parieti, & sic fingo aliquid, nec est pura denominatio extrinseca, sed verum ens rationis. Hoc posito

Ratio est, quia illud est verè reale, in quo nihil continetur quod sit fictum, & quod non sit reale: huiusmodi sunt denominationes extrinsecæ si puræ sint. Quod probatur, quia in hac denominatione, *Paries est visus*, nihil est præter subiectum reale, videlicet parietem, formam realem extrinsece terminatam ad parietem, & vnionem formæ huius cum subiecto. Hæc omnia realia sunt, non autem vllò modo ficta, quando copula *est*, non significat formam dominantem esse intrinsecam subiecto, sed extrinsece terminari: ergo in ea denominatione nihil est fictum, sed omnia realia.

Deinde illud solum est ens rationis, cuius totum esse est cognosci: denominationes extrinsecæ non sunt huiusmodi, v. g. cum dico, *Paries est visus*, *Petrus est cognitus*, *Deus est Creator*, etiam si nullus intellectus cogitet videri parietem, Petrum esse cognitum, Deum esse creatorem, veræ sunt propositiones: ergo clarum est quod illa non sunt entia rationis. Verum est quod si nullus intellectus cogitet Petrum, verum non erit Petrum esse cognitum, sed verum tamen erit Petrum esse cognitum, quamuis nullus intellectus cogitet Petrum esse cognitum, atque aded non facio ens rationis, quando dico Petrum esse cognitum, quia hoc est independens ab eo quod cognoscam Petrum esse cognitum, alioqui quælibet cognitio esset ratio- nis, quia si nullus cogitaret intellectus, non esset cognitio. Esset autem cognitio ens rationis, si verum esset dicere quod cognitio non esset, si nullus cogitaret intellectus esse cognitionem.

Obicitur primò. Illud est ens rationis, quod habet tantum esse obiectiue in intellectu: denominatio extrinseca proueniens ab actibus rationis habet tantum esse obiectiue in intellectu, nam v. g. denominatio cogniti non habet esse in ipsa re cognita; sed neque habet esse subiectiue in intellectu, qui non dicitur cognitus, sed cognoscens: ergo habet esse tantum obiectiue in intellectu.

Resp. denominationes extrinsecas, quæ proueniunt ab actibus rationis, non habere tantum esse obiectiue in intellectu, nam v. g. denominatio illa cogniti habet esse subiectiue ac intrinsece in ipso intellectu; in illa verò re, quæ cognoscitur habet esse denominatiue. Quando autem cognoscitur reflexè, tunc habet esse obiectiue in intellectu, sed non tantum.

Obicitur secundò. Esse cognitum est tantum esse obiectum, sed esse obiectum intellectus est esse obiectiue in intellectu: ergo esse cognitum est tantum esse obiectiue in intellectu: ergo cum dico *Petrus est cognitus*, facio ens rationis.

Resp. valde diuersas esse istas propositiones: Esse cognitum est tantum esse obiectiue in intellectu, seu nihil est aliud quam esse obiectiue in intellectu.

Denomina-  
tiones ex-  
trinsecas  
reales esse.

Quid sit de-  
nominatio  
extrinseca.

Probatio af-  
sertionis.

OLIPHONDS

Prima obie-  
ctio.

Secunda  
obiectio.



# 18 Philosophiæ Peripateticæ Liber I.

Secunda est: Esse cognitum habet totum esse obiectivum in intellectu, seu est tantum obiectivum in intellectu. Prima vera est, altera verò falsa, quia est esse subiectivum ac intrinsecum in intellectu. In argumento igitur quod proponitur, probatur quod esse cognitum, est tantum esse obiectivum in intellectu, quod nemo negat; sed non probatur quod esse cognitum habeat tantum esse in intellectu obiectivum, seu sit tantum obiectivum in intellectu, quod est falsum, & non probatur. Vnde facile conceditur totum argumentum, cuius conclusio est: Ergo esse cognitum est tantum esse obiectivum in intellectu; negaretur autem si diceret, est esse tantum obiectivum in intellectu.

Instantia.

Instabis: res cognita ut cognita est tantum obiectivum in intellectu; ergo ut cognita est ens rationis.

Resp. negando consequentiam, quia ut aliquid sit ens rationis non satis est quod sit tantum obiectivum in intellectu, pro ut res cognita reduplicativè sumpta, sed oportet ut etiam pro ut sumpta specificativè sit obiectivum tantum in intellectu; quamvis ergo res reduplicativè ut cognita, sit tantum obiectivum in intellectu, non sequitur tamen quod sit ens rationis.

Tertia obiectio.

Obijciunt tertio. Illud est ens rationis cuius totum esse dependet ab intellectu; esse cognitum, esse subiectum, esse prædicatum omnino pendet ab intellectu: ergo illa sunt entia rationis.

Resp. negando maiorem, multa enim realia sunt, quæ omnino pendunt ab intellectu, ut sunt sunt cognitiones: ad ens autem rationis requiritur ut sit ens fictum ab intellectu, id est ut pendeat ab intellectu aliquid fingente, ut dixi: denominatio ergo cogniti realis est, & tamen convenire potest chimæ, quia denominatio realis extrinseca convenire potest enti rationis, non denominatio intrinseca.

## SECTIO III.

*A quo fieri possit ens rationis: & per quam actionem.*

ENS rationis cum non habeat esse reale, sed esse fictum, sic non potest habere causam à qua fiat per veram actionem, sed à qua fiat per fictionem. Primum ergo queritur utrum intellectus divinus facere possit ens rationis, deinde quam potentiam Angeli vel hominis illud faciant.

### §. I.

*Utrum divinus intellectus facere possit ens rationis.*

Affertio bimembris.

DEO primum, intellectum divinum non facere ullum ens rationis, tamen reverà illud verè cognoscat speculativè, non autem practicè.

Prima pars negans fieri à Deo ens rationis.

Primum partem cum S. Thoma tenent Suarez, Vasques, & alij communiter: negant Arrubal, Albertinus, & pauci alij. Ratio tamen contra istos est, quia operationem habere quæ sit representatio difformis obiecto, est aliqua imperfectio: sed qui apprehendit non ens per modum entis habet representationem difformem rei representatæ ut est in se: ergo apprehendere non ens per modum entis est imperfectio, quæ proinde non convenit Deo. Minor videtur esse nota ex terminis, probatur maior: habere falsitatem imperfectio est, sed habere operationem difformem rei representatæ, est habere falsitatem aliquam, saltem incomplexam: ergo habere operationem difformem rei representatæ imperfectio est.

tem aliquam, saltem incomplexam: ergo habere operationem difformem rei representatæ imperfectio est.

Deinde illa non est prima & summa veritas quæ maior nulla potest excogitari, quæ veritatem non habet in omnibus suis operationibus, saltem iis quæ sunt simplices apprehensiones; illa enim veritas quæ veritas est tum in prima apprehensione, tum in iudicio, est maior eâ, quæ in solo iudicio est veritas. Deus est prima & summa veritas: ergo veritas est tum in prima operatione, tum in iudicio; si tamen in Deo est prima apprehensio, quod mox videro.

Denique Deus non potest facere ens rationis nisi per primam apprehensionem, vel per iudicium: neutrum facere potest, prima enim apprehensio, cum imperfecta sit, Deo convenire non potest. Iudicium autem haberet falsum si iudicaret faciendo ens rationis. Imò ens rationis tunc efficitur, cum id quod non est, iudicatur ac si esset: Deus non potest concipere id, quod non est, ac si esset: ergo facere non potest ens rationis.

Secundam partem quæ asserit speculativè cognosci à Deo ens rationis, tenent Molina, Suarez, Auerla, Hurtadus: negat acriter Vasques 1. p. disp. 118. Antequam probetur

Observa dupliciter ens rationis cognosci: primum speculativè, secundò practicè. Tunc speculativè cognoscitur cum cognoscitur ut factum, vel ut factibile ab alio, cum cogito v. g. te cogitare chimæram. In actu item signato cognoscitur cum cognoscitur aliquid esse fictum, ut si dicam, *Chimæra est ens fictum*. Tunc practicè, ac in actu exercito cognoscitur ens rationis, quando id quod non est concipitur tanquam ens reale sine ordine ad aliam ullam conditionem, quæ hoc finxerit, & hoc est facere ens rationis, cum propriè sit fingere. Dixi ergo ens rationis tamen posteriori hoc modo non cognoscatur à Deo, cognosci tamen priori modo.

Ratio est, quia cognoscere speculativè tantum & in actu signato ens rationis non est illud facere, quod probatur, quia tunc non fit ens rationis quando nihil fingitur, sed cognoscere ens rationis speculativè, id est ut ab alio factum, non est excogitare illud, & fingere, tunc enim nihil fingitur quando omnia cogitantur ut reverà sunt, qui autem cognoscit ens rationis à me factum, vel qui cognoscit ens rationis esse aliquid fictum, cognoscit res ut reverà sunt: ergo nihil fingit. Confirmatur; sicut enim ille qui cognoscit aliam mentiri, aut falli, non propterea mentitur aut fallitur, ita qui cognoscit alium discurre, non discurret.

Deinde certum est nullam esse cogitationem creatam quæ à Deo non cognoscatur, & ad quam non concurrat: ergo Deus cognoscit eas omnes cognitiones quibus sunt à nobis entia rationis: sed implicat cognosci cognitiones illas omnes à Deo, quin cognoscantur entia rationis: ergo cognoscitur à Deo ens rationis. Minor certa est, quia cognitio pendet essentialiter ab obiecto ad quod terminatur, neque nominari aut cognosci potest sine illo.

Obijciunt primum, videri omnino quod facere ens rationis perfectio est intellectus, quæ propterea negari non debet perfectissimo intellectui divino. Sicut enim pictor ille qui pingere potest entia possibile, & impossibilia perfectior est illo, qui pingere non potest nisi possibile, ita & intellectus. Deinde multa sunt in Deo relationes rationis ad creaturas, v. g. scientia, decreta libera, &c. quæ omnia sine dubio Deus cognoscit.

Resp.

Altera ratio.

Tertia probatio.

Cognoscitur Deus entia rationis.

Duobus modis ens rationis cognoscitur.

Probatio secundæ partis.

Prima obiectio.



Resp. negando quod facere ens rationis perfectio sit intellectus: de picture autem dispar ratio est, quia ille qui pingit impossibilia, non habet necessariò in se ipso ullam falsam operationem, cum non repræsentet impossibile ut impossibile, sed tantum secundum figuram externam, secundum quam est possibile. Intellectus autem faciens ens rationis falsam in se ipso habet operationem. Nego ullam esse in Deo relationem rationis, sed illa finguntur à nobis esse in Deo, quatenus sine illis concipi nequeunt à nobis ea quæ sunt in Deo. Deus autem sine relatione rationis illa cognoscit.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò, totum fieri & totum esse entis rationis non est nisi cognosci: ergo si Deus cognoscit ens rationis, illud etiam facit. Neque satis est dicere, quod fieri entis rationis est cognosci practice, non autem cognosci speculative, quo tamen duntaxat modo Deus illud cognoscit. Contra enim in isto primò. Per illam cognitionem fit ens rationis, per quam ens rationis est obiectivè in intellectu: per illam cognitionem speculative ens rationis est speculative in diuino intellectu: ergo illa sufficit ut fiat ens rationis à Deo. Deinde fieri entis rationis est non ens obici per modum entis: Deus cognoscendo ens rationis per respectum ad creatam cognitionem, obicit sibi non ens per modum entis: ergo per illam cognitionem facit ens rationis. Denique tunc ab intellectu fit ens rationis, quando illud accipit esse ab intellectu tanquam ab integra causa: sed per cognitionem illam speculative Dei, ens rationis accipit esse ab intellectu diuino tanquam ab integra causa; si enim intellectus creatus ad illud non concurrat proptèr est in intellectu diuino, ens rationis pendet à diuino intellectu tanquam ab integra causa: intellectus creatus non concurrat ad ens rationis proptèr est in intellectu diuino: ergo ens rationis tunc à Deo pendet tanquam ab integra causa. Imò si Deus cognoscit ens rationis factum ab intellectu creato, cognoscit illud ab æterno antequam ullus intellectus illud faciat: ergo ex se illi tribuit esse obiectivum, quod est illud facere.

Resp. verum esse quod fieri entis rationis non est nisi cognosci secundariò & speculative tantum, id est cognosci ut iam ab alio factum. Ad primam autem instantiam, quod per cognitionem speculative & secundariam ens rationis habet esse obiectivè secundariò tantum, quod non sufficit ad ens rationis, cuius esse est esse in intellectu obiectivè, sed primariò, alioqui non est factum. Ad secundam instantiam similis est responsio, fieri enim entis rationis est non ens obici per modum entis, primariò & practice, concedo; secundariò & speculative nego. Ad tertiam distingo illam propositionem: intellectus creatus non concurrat ad ens rationis, proptèr est in diuino intellectu, non concurrat ex parte illius obiecti, nego; non concurrat ex parte ipsius diuinæ intellectus, concedo. Id est intellectus creatus non efficit actum, quo Deus cognoscit ens rationis, sed efficit obiectum illius actus, quod Deus cognoscit ab æterno, ut factibile à creatura, neque tamen facit: sicut cognoscit omnia mendacia, quæ dicitur Petrus, neque tamen mentitur.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio, ens illud rationis proptèr cognitum à Deo, vel est ens reale, vel est ens rationis, nihil enim esse potest medium. Non primum, quia sic chimæra esset ens reale: ergo secundum, & sic fit à Deo ens rationis.

Resp. ens illud rationis proptèr cognitum à Deo esse reuerà ens rationis factum fictum à creatura,

A non autem à Deo qui secundariò illud cognoscens, non illud facit, sed accipit factum à creatura; sicut quando Deus cognoscit tuum mendacium, vel tuum errorem, mendacium illud & error sunt verè mendacium & error in diuino intellectu, sed non mentitur Deus nec errat, quia cognoscit errorem ut factum ab altero. Denique fateor Deum habere posse conceptum rei falsæ, vel impossibilis independentem ab intellectu creato, quia ille simplex est dissensus, & Deus tunc nihil fingit: faciendo autem ens rationis aliquid fingeret.

§. II.

*Quenam potentia Angeli, vel hominis facere possint ens rationis.*

B Deo secundò. Solus intellectus, tum angelicus, tum humanus facere potest ens rationis, non autem voluntas, neque ullus sensus externus, vel internus, qui dicitur imaginatio. Quatuor partes conclusio habet, breuiter probandas.

Assertio quadriparsita.

Primò enim quod humanus intellectus officina sit, in qua cudentur entia rationis, experientia optima probatio est; ille enim non ens concipit ad modum entis, impossibile per modum entis, & obicit sibi omnis generis spectra, & monstra. De intellectu angelico video dubitari à quibusdam Theologis, sed immeritò, quia nulla est ratio proptèr quam angelicæ operationes non possint esse falsæ, atque adeò entia rationis.

C Secundò, de sensu externo constans omnium sententia est, quod nullum ab eo fiat ens rationis, quia illa potentia non fingit ens rationis, quæ debet recipere ab eo species, antequam attingat obiectum: sensus externus nihil planè percipit, quin acceperit species ab obiecto: ergo non facit ens rationis. Adde quod ens rationis, ut dixi, est aliquid quod fieri etiam ab ipso Deo non potest: sensus nihil percipit, quod fieri à Deo nequeat, imò & quod factum non sit.

Sensus externus non facit ens rationis.

Tertiò fieri ens rationis ab imaginatione docet. Nec imaginatio Suarez *disp. 54. sect. 2.* sed immeritò, quia nihil natio. Obiicitur imaginationi quod possibile non sit, atque adeò reale. Probatur, nam si montem aureum phantasia sibi repræsentet, ille factibilis à Deo est; si chimæram aut hircoceruum, sunt entia possible proptèr obiciuntur phantasiæ, quæ non attingit nisi figuram externam, compositionem substantialem essentialium totalium solus attingit intellectus. Certum autem est fieri posse à Deo animal figuram externam habens leonis, draconis & capræ, cum sæpè visa sint monstra figuram habentia partim hominis, partim bruti.

Quartò fabricari à voluntate entia rationis voluit Scotus *in primam disp. 45. quest. unica*, quem sequitur Herice *disp. 8. cap. 1.* Sententia communis hoc merito negat, quia illa potentia non fingit entia rationis, quæ supponit suum obiectum; nam esse totum entis rationis est concipi, & cognosci: potentia ergo illa quæ supponit obiectum, non illud fingit: voluntas supponit obiectum suum, quia nunquam fertur in incognitum: ergo voluntas non facit ens rationis.

Nec voluntas.

E Obiicitur primò, sensus externus, v.g. oculus, videt tenebras per modum nigredinis; quod est facere ens rationis, cum illud fiat ab intellectu eo ipso quòd eo modo apprehendit tenebras. Deinde fallitur sæpè oculus videndo procul rotundam turrim, quæ quadrata est; faculum fractum, qui est integer; colores in iride, qui nulli sunt. Denique

Prima dubitatio pro sensu externo.



illo potentia non supponit obiectum suum, sed illud fingit, quæ percipit illud aliter quàm sit: sensus apprehendit sæpe obiectum suum aliter quàm sit: ergo non illud supponit.

Resp. negando quod oculus tenebras videat per modum nigredinis, sed eo ipso quod nihil oculus videt, intellectus tenebras apprehendit quasi nigredinem, proindeque tunc non fit ens rationis ab oculo, sed ab intellectu. Verum est sæpe decipi, scilicet cognoscendo aliquid factibile à Deo, sed nego illum falli cognoscendo simpliciter impossibile per modum entis, quod tamen ad ens rationis exigitur. Sensus ergo externus reuerà decipitur, & licet supponat obiectum suum à quo fecit s. suas accipiat, non supponit tamen illud eo modo quo percipit, vnde non sequitur quod faciat ens rationis.

Obiicitur secundo, imaginatio reuerà fingit, si percipit res aliter quàm sunt; percipit autem res aliter quàm sunt: ergo fingit. Imò tunc imaginatio fingit, quando percipit negationes, quia illas concipit vt aliquid posituum; percipit autem negationem: ergo facit ens rationis.

Resp. imaginationem concipere rem aliter quàm sit, sed nego id sufficere ad ens rationis, nisi concipiatur ens omnino impossibile, quod imaginatio non facit. Negationes nullus sensus percipere potest actu aliquo positivo, sed tantum percipit subiectum, non percepta in eo forma, v. g. cognoscitur Petrus non percepta in eo loquutione, vbi nihil est fictum.

Obiicitur tertio, voluntas æquè facit ens rationis, & æquè fingit ac intellectus, quando fertur in bonum apparens & impossibile; quod probatur. Intellectus format ens rationis quando apprehendit ens impossibile, affigendo illi rationem entis; sed voluntas appetit malum & impossibile addendo illi rationem boni & possibilis: ergo æquè facit ens rationis. Deinde illa potentia facit ens rationis, quæ ordinat ad aliud id, quod non est ordinatum; voluntas hoc facit, Deum peccator ad se ipsum ordinat: ergo, &c. Denique intellectus facit ens rationis per secundam, & tertiam mentis operationem quæ supponunt primam operationem: ergo voluntas facere potest ens rationis, quamuis supponat actum intellectus.

Resp. verum quidem esse, quod voluntas fertur in malum sub ratione boni, & in impossibile sub ratione possibilis apprehensum; sed nego illam facere tamen propterea ens rationis, quod supponit factum ab intellectu. Vnde ad formam argumenti conceditur illa propositio: Intellectus facit ens rationis dum apprehendit ens impossibile affigendo illi rationem entis. Negatur verò minor: Voluntas appetit malum addendo illi rationem boni. Non enim voluntas est quæ addit rationem boni, sed supponit eam ab intellectu additam. Deinde nego etiam quod voluntas ordinet vnum ad aliud ad quod non est ordinatum, solus enim intellectus est qui ordinat, quia ille solus est, qui ordinem voluntati proponit. Denique disparitas inter intellectum & voluntatem est, quia secunda & tertia mentis operatio supponunt quidem primam, sed aliquid illi postea superaddunt, & aliquid fingunt quod prima non finxerat: at verò voluntas supponit totum suum obiectum fictum ab intellectu, sed non addit, neque fingit aliquid.

Obiicitur quarto. Fabricari ens rationis vel est imperfectio, vel est perfectio. Si primum: ergo minus conuenit intellectui potentia perfectissima

ma, quàm sensibus & voluntati. Si est perfectio, negari non debet Deo.

Resp. eodem argumento posse probari, quod bruta discuntur; si enim perfectio est, magis Deo conuenit; si est imperfectio, magis conuenit brutis quàm homini. Nego igitur illam partem: Si facere ens rationis est imperfectio, minus conuenit intellectui potentia perfectissima, quàm sensibus, quia ex maiori aliqua limitatione oritur vt voluntas & sensus facere non possint ens rationis, quod facere potest intellectus. Quia hæc est perfectio secundum quid quando oritur ex limitatione potentia, imperfectio autem simpliciter quando oritur ex defectu veritatis. Vnde illa est imperfectio in Deo, qui non esset prima veritas.

### S. III.

*Per quam actionem fiat ens rationis.*

**I**lla est sine dubio intellectio, cum solus intellectus faciat ens rationis, quod solum habet esse obiectiue in intellectu. Non est autem opus vt omnis actio realis terminum extrinsecum realem habeat; terminus autem intrinsecus actionis est qualitas realis. Quando dicitur quod *obiectum semper specificat actionem*, significatur quod actiones semper diuersæ sunt speciei, quando habent diuersa obiecta; non significatur, quod actio sit in eadem specie, in qua est obiectum.

Difficultas igitur solum esse potest, vtum per primam mentis operationem, & per solam etiam præcisionem intellectus fieri possit ens rationis.

Dico tertio, per primam mentis operationem fieri posse verum ens rationis, non autem per solam præcisionem, quæ concipit vnum non conceptio alio quod est coniunctum cum illo.

Primæ partis, quam negat aliqui cum Hurtado, ratio est, quia vno exteriorum impossibilium, v. g. vno trium essentiarum impossibilium in chintara, per primam apprehensionem cognosci potest, illa verò est ens rationis. Imò volentes concipere aliquod obiectum sicuti est, apprehendimus tamen illud aliter quàm sit, v. g. Deum volentes apprehendere, senem imaginantur; hoc autem sine dubio est fingere.

Dico quarto, per solam præcisionem intellectus non fieri ens rationis. Ita fusiùs demonstro *disp. tertio Metaphysica*, probans realitatem vniuersalem. Nunc breuiter

Ratio sit, quia illa cognitio non facit ens rationis cuius totum obiectum est reale, non autem fictum: præcisio huiusmodi est, cum enim cogitatur animal, non cogitato rationali, quod ei coniunctum, obiectum illud est animal quod non est ens fictum, sed vere reale. Verum est, quod si cogitarem animal esse solum à parte rei sine vllis differentiis contrahentibus, fingerem aliquid impossibile; cum autem cogito animal non cogitatis iis cum quibus coniunctum est, nihil cogito, quod non sit verum & reale: ergo præcisio pura non facit ens rationis. Confirmatur euidenter, quia sequeretur alioqui, nullam vnquam esse posse cognitionem humanam, quæ non faciat ens rationis, cum nulla omnino sit, quæ attingat omnes formalitates identificatas obiecto quod cogitatur, vt patebit ex *Metaphysica*.

Obiicitur primo. Ens rationis non fit sine aliqua falsitate: in apprehensione simplici non est falsitas: ergo per simplicem apprehensionem non fit ens rationis. Deinde fingere est attribuire vnum alteri,

Illa est intellectio.

Per primam operationem fit vniuersale.

Non fit per præcisionem solam.

Prima obiectio.



## Disp. II. Quæst. II. de Vniuers. & Prædicab. 21

alteri: simplex apprehensio non attribuit vnum alteri: ergo non fingit.

Resp. ad ens rationis non requiri falsitatem complexam, sed sufficere incomplexam, cuius capacem esse primam apprehensionem, dicam *disp. 3.* Deinde nego quod fingere sit attribuire vnum alteri, sufficit enim quod cogitetur aliquid impossibile, v.g. cum cogito chimæram, simpliciter illam apprehendendo, nihil tribuo alteri, & tamen fingo.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò, si sit ens rationis per primam apprehensionem, illud sit etiam per præcisionem, v.g. cum cogito animal non cogitatio rationali, sine quo tamen esse non potest. Dixi autem fieri ens rationis per primam apprehensionem: ergo sit etiam per præcisionem. Confirmatur primò. Per præcisionem concipitur obiectum aliter quam sit: ergo per eam aliquid fingitur. Confirmatur secundò. Illud ens est fictum, quod nec est, nec esse potest: rationale nec est sine animali, nec esse potest: ergo est ens fictum.

Resp. fieri ens rationis per primam apprehensionem cum cogitatur aliquid quod nec est, nec esse potest; quando autem totum quod cogitatur est reale, tunc nego fieri ens rationis per simplicem apprehensionem, unde nec sit per puram præcisionem, cuius totum obiectum reale est. Ad primam confirm. Resp. posse duobus modis concipi aliquid aliter, quàm sit: primò, non cogitando totum quod est, vt cum cogito rationale non cogitato animali, quod ei coniunctum est: secundò, cogitando aliquid quod nec est, nec potest esse, vt si cogitem rationale esse sine animali. Quoties primo modo aliquid cogitatur aliter, quàm sit, nihil fingitur, neque sit ens rationis. Quando cogitatur res aliter quàm sit, fit reuerà ens rationis. Per præcisionem puram res cogitatur aliter quàm sit non cogitando totum id quod est; sed non cogitatur aliquid quod non sit, nisi esset præcisio negatiua, quâ diceret esse rationale sine animali; hæc enim fictio esset, & ens rationis. Ad secundam confirm. distinguo illam minorem: sed rationale nec est, nec esse potest à parte rei sine animali coniuncto realiter, concedo; sine animali coniuncto per intellectum, nego. Animal enim quod cogitatur non cogitatio rationali, est verè reale & à parte rei sine animali cogitatio per intellectum, & idè est verè reale. Neque valet illa instantia. Illud est ens rationis quod est tantum per intellectum: hoc, inquam, falsum est; nam operationes non sunt nisi per intellectum, & tamen reales sunt. Ad hoc ergo vt aliquid sit ens rationis requiritur vt sit tantum per intellectum fingentem aliquid impossibile. Sed hoc clarius erit ex *disp. 3. Metaph.* citata.

A causas, proprietates vniuersalium. Quam ego totam controuersiam plenè trado in Metaphysica cum Philosopho. Hic autem quæ traduntur à Porphyrio de vniuersalibus, & prædicabilibus in specie sigillatim persequens, primùm ago de numero eorum, deinde sigillatim venio ad genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens.

### SECTIO I.

*Quid & quomplex sit vniuersale, ac prædicabile.*

Certum est primò, vniuersale rectè definiri, *Est* *Definitio* *Vniuersale* *quod aptum inesse multis*, id est ens indiuisibile, diuisibile tamen in multa, in quibus multiplicetur; idè Deus non est vniuersalis, quia licet plures in Deo sint personæ, participantibus Dei naturam, in iis tamen natura illa non multiplicatur. Duo ergo sunt in vniuersali maxime mirabilia, vnitas, & pluralitas; sed illa est actualis, altera est solum potentialis. Implicat quidem aliquid esse vnum actu, & actu multa; sed est tamen difficile intelligere aliquid quod sit vnum actu, & possit esse multa, quæ adæquatè idem sunt cum eo quod diuidi videtur in multa; & hic est implicatissimus nodus de existentia ipsius vniuersalis, vtrum sit actu à parte rei, an verò tantum per operationem intellectus, & quænam illa sit operatio, dans existentiam obiectinam naturæ, quæ habeat unitatem, & tamen aptitudinem vt sit in pluribus; naturam aliquam quæ indiuisa sit, & tamen sit verè natura Petri, Pauli, Ioannis, imò omnium hominum, qui sunt reuerà plures. Hic est (inquam) nodus quem soluendum remitto in Metaphysicam. Nunc autem placet ita circa illum ludere cum Tyronibus Logicis.

Eximium in mole ludentis naturæ miraculum, sed arcanum coronatæ rationis, & triumphalis intelligentiæ simulacrum, *Pandiam* (narrat Cassiodorus) vnum omnes lapillos, thesaurum in puncto, pretium totius Indię in vno annulo. In illa se gemma vnus fulgor variae lucis multiplici repercussione commiscens, fulgurat in adamantem, rubescit in carbunculum, in chrysolitum cyaneo candore flauescit. In hac & plura vides, quàm videre te posse scias, & falleris, nisi falli velis. Illam verè prædicas esse vnam, & mentiri times; multiplicem appellas, & volens deciperis; cum venetam aspicias, smaragdum vocas, & negas; cum blatteam, topazium dicis, & refugis: cum prasinam, chrysopasum existimas & reclamas, aduersarius tibi ipsi, tanto gemmarum copia ditior, quod in pluribus vnam habes, & in vna omnes.

*Pandias la-  
pillis vnus  
& plures, ex  
Cassiodoro.*

Verum animorum ludibria illa sunt, non diuitiarum oculorum; vna in pluribus *Pandia*, & in vna plures: nisi naturas vniuersales in lapillo æmulari natura voluit, quas in scriniis suis inuenire nequaquam potuit. Naturas, inquam, vniuersales, sigilla gemmea rerum omnium, vertiles mundos, simulacra vera & picta, umbras omnicoles, sic vnas vt sint omnia indiuidua, sic plura vt nec communicabilitatem auferat vnitas, nec unitatem diffundat ex vno refusa pluralitas: vniuersum in puncto, rerum essentia sine rebus, ipsamet singularetia tota sine se ipsis; extra se posita, nec diuisa; vnum in pluribus.

*Imago vni-  
uersalitatis.*

Quarrit omnicoles huiusmodi gemmas fatigata iamdiu humana ratio, & qui parturit intra se ipsum vniuersalia intellectus, illa extra se ipsum auhelus exquirat; quod facit intra se ipsum, habere

*Fit per in-  
tellectum  
vniuersale.*

### QVÆSTIO II.

*De Vniuersalibus, & Prædicabilibus.*

PVdit me in hoc Philosophiæ veluti propileo, primoque vestibulo, rudioribus statim Tyronum ingeniis quæstionem de vniuersalibus in genere vnam omnium obscurissimam, & difficillimam statim obicere, veritusque sum ne ab ineundo studio Philosophiæ eos abstererem, si ipso in aditu reperissent spectra formalitatum, præcisionum, distinctionum rationis ratiocinantis aut ratiocinata, aliaque huiusmodi per intellectum fabricata & excogitata ad explicandam naturam,

E



se nescit; prolem suam ipse vix nouit, patrem se dubitat esse, disputatque vtrum extra se sobolem habeat, quam in sinu suo inuenit; fungiturque matris munere, quamuis non sit nisi pater. Platonis videlicet ideas auulsas à singularibus, dum non inuenit, pingit; mox substantias indiuiduas plures videt esse, nec vllibi diffusam pluralitatem vnitatem, collectam pluralitatem vnitatem inuenit, quam in fecundissimo suo gremio (plura enim cogitat, & vnum efformat) vnum facit, & plura non minuit, manetque integra cum vnitatem pluralitas, sicut perscuerat cum pluralitate illa vnitatem. Diuidit indiuisibilia, dum separat naturam à singularitate sua cum qua vnum est; mentitur, & mentiri se negat, vtrique restrictione mentali sine præiudicio veritatis, siue falsitate rem concipit alio modo quam in se ipsa sit, sine fictione cogitat impossibile: integra manent, quæ ipse præscindit, & quod cultro cogitationis vulnus infligit naturæ, sanat ipse, reponitque in meliorem statum, quia quam inuenit singularem, & indiuiduam, vniuersalem efficit, & ad innumera singularia diffusam. Toties fecundam, quoties mens cogitare voluerit indiuiduum: omnibus est patens, & in vno solum esse potest, omnium propria, & ad omnia indifferens; nemini affixa, & si alicui semel adhaeserit, illi soli addicta. Ne quæras vniuersalia extra te mens humana, non potest tam numerosa proles alibi nasci, alibi educari quam in eo fonte luminis, vbi mortua quæque viuunt, vbi quæ sunt materialia, fiunt spiritualia; quæ diuisa sunt, colliguntur; quæ vnita, diuiduntur; quæ sterilia, fecunda euadunt.

Et hæc præcussisse sufficiat de re obscurissima, vt dignoscatur à Dialecticis propria notio vniuersalium, & prædicabilium, quorum numerum hic inquirimus.

Certum est secundò, prædicabile conuenire omnino, imò vnum & idem esse cum vniuersali; nam vniuersale definitur (vt dixi) *Vnum aptum inesse pluribus*; prædicabile, *Vnum aptum de pluribus prædicari*. Quod aptum est inesse pluribus, aptum sine dubio etiam, est prædicari de pluribus; quod enim in aliquo existit, potest de illo affirmari: nam ab eo, quod aliquid est vel non est, vera vel falsa est propositio: ergo quod est vniuersale ad plura perti- nens, est etiam prædicabile de pluribus: & contrà, quod est prædicabile de pluribus, est etiam vniuersale: nihil prædicari potest de subiecto, nisi quod est subiecto. His positis duo video posse quæri. Primò, vtrum vniuersale reuera diuidatur in quinque species. Secundò, vtrum in eas ita diuidatur vt sit genus vniuersum ad illas.

## §. I.

*Vtrum sint quinque vniuersalia.*

**A**ssertio affirmatiua. Ico secundò, vniuersalia nec plura posse dici, nec pauciora, quam quinque.

**R**atio generalis. Ratio vniuersalis est, quia numerus vniuersalium non potest peti nisi ex modis essendi & prædicandi de pluribus, tum essentialiter, tum accidentaliter: sed modi essendi & prædicandi de pluribus nec sunt plures, neque pauciores quam quinque: ergo vniuersalia nec sunt plura, nec pauciora quam quinque.

**E**xplicatio maioris. Maiorem propositionem video à multis negari, qui cum refugiant cum sententia communi admittere quinque vniuersalia, existimant etiam aliunde peti debere hunc numerum, quam à modis essendi & prædicandi. Primò enim alij eam petunt à nu-

**A**mero inferiorum, quæ non sunt nisi duo, *species*, nimirum, & *numero* differentia: duo item putant esse vniuersalia, *genus* & *speciem*, ita vt quidquid prædicatur de pluribus specie differentibus, sit *genus*; quod autem de pluribus numero differentiibus, sit *species*. Alij existimant secundò numerum vniuersalium peti tantum à modis essendi & prædicandi essentialiter, atque sic tria constituunt ad summum vniuersalia, genus, speciem, & differentiam. Quia scilicet naturæ aliquæ communes abstrahi possunt ab inferioribus, quibus sunt essentialiter, & de quibus substantiæ prædicantur homo v.g. abstrahitur à Petro & Paulo, de quibus essentialiter & substantiæ prædicatur. Aliæ naturæ abstrahuntur à subiectis de quibus prædicantur essentialiter & adiectiue, vt rationale prædicatur adiectiue de Petro & Paulo. Denique aliæ naturæ abstrahuntur à subiectis de quibus accidentaliter, & adiectiue prædicantur, vt album abstrahitur à lacte & niue. Tertiò tamen melius & communiùs alij dicunt numerum vniuersalium peti à modis essendi & prædicandi, siue illi sint accidentales, siue sint essentialiter.

**R**atio est, quia ratio distinctiua rerum petitur semper ex ratione illarum formalis; sed ratio formalis constitutiua rerum vniuersalium est modus essendi & prædicandi de multis; definitur enim vniuersale, *quod est vnum aptum inesse multis*: ergo numerus & distinctio vniuersalium peti necessario debet à modis essendi & prædicandi.

**C** Deinde quod non petatur ex solis modis prædicandi essentialiter, probò, quia modus essendi & prædicandi tum essentialiter, tum accidentaliter, & prout abstrahens ab vtroque, est aliquid communius modis prædicandi essentialiter tantum: ergo potest constituere aliquam rationem illis communem; illa est ratio vniuersalis, quia propria definitio vniuersalis illi conuenit, est enim *vnum aptum inesse multis*: ergo numerus vniuersalium petitur ex modis essendi & prædicandi tum essentialiter, tum accidentaliter; non autem ex modis solum prædicandi essentialiter, nec ex numero inferiorum, alioqui proprium & accidens essent genus & species quando prædicantur de pluribus differentibus specie vel numero. Ex quibus manet probata maior argumenti propositio.

**D** Iam verò minor asserbat modos illos essendi esse quinque tantum. Probatur, quia quidquid prædicatur de inferioribus, vel prædicatur essentialiter, vel contingenter: si essentialiter, vel est pars determinabilis, & est *genus*, vel determinatiua, & est *differentia*, vel est totum, & est *species*. Si contingenter, vel conuenit necessario, & est *proprium*, vel non necessario, & est *accidens*. Et sic quinque sunt vniuersalia. Nec plura nec pauciora. Id quod

Probari etiam breuius potest, quia definitio vniuersalis & prædicabilis, *Vnum aptum inesse ac prædicari de multis*, conuenit solum generi, speciei, differentie, proprio & accidenti: ergo illa solum sunt vniuersalia.

**E** Obicitur primò. Non debere peti numerum vniuersalium ex modis essendi, illud enim solum est vniuersale, quod potest abstrahi abstractione vniuersali: sed ea quæ non prædicantur essentialiter, abstrahi non possunt abstractione vniuersali, nam ea quæ prædicantur contingenter, abstrahuntur à subiectis, atque adeò abstrahuntur solum abstractione formali: ergo ea, quæ prædicantur contingenter, non possunt esse vniuersalia: ergo ex modis essendi non petitur numerus vniuersalium. Deinde vniuersale dicitur per relationem ad inferiora, & per illa definitur: ergo numerus vniuersalium peti-

Petit ex modis essendi.

Quinque sunt modi essendi vniuersales.

Breuior probatio.

Prima obiectio.

Abstrahendum non est mendacium.

Definitio prædicabilium.

Assertio affirmatiua. Ratio generalis.

Explicatio maioris.



## Disp. II. Quæst. II de Vniuers. & Prædicab. 23.

Abtractio  
vniuersalis.

tur ex numero inferiorum, quæ sunt duo tantum.

Respondeo negando primam illam minorem, quod ea, quæ non prædicantur essentialiter, abstrahi non possint abstractione vniuersali, ad quam frustra requirunt aduersarij, vt id quod abstrahitur, prædicari possit essentialiter. Verum quidem est, concreta, alia esse absoluta, quæ abstrahunt ab inferioribus, de quibus prædicantur *in quid*; alia connotatiua, quæ abstrahunt solum à subiecto, vt rationale: falsum tamen omnino est, concreta connotatiua non abstrahi abstractione vniuersali, quæ hoc solum exigit, vt id quod abstrahitur, abstrahatur per modum totius; quod conuenit tam iis, quæ prædicantur essentialiter, quam iis, quæ prædicantur denominatiue. Album enim v.g. est verè aliquod totum æquè ac animal, cum vnum significet habens albedinem, alterum habens animalitatem: ergo æqualiter vtrumque abstrahitur abstractione vniuersali.

Secunda  
obiectione.

Quod additur de numero inferiorum, distingui debet; nam inferiora sumi possunt vel materialiter, prout excludunt modos essendi; vel formaliter, prout illos includunt. Vniuersalia dicuntur & definiuntur per ordinem ad inferiora sumpta formaliter cum modis essendi, & illa sunt verè quinque; non per ordinem ad inferiora sumpta materialiter, quæ sunt duo tantum.

Obiicitur secundo, videri omnino, quod vniuersalia sint pauciora quam quinque. Id quod est vniuersale, debet immediatè prædicari de inferioribus: differentia, proprium, & accidens non prædicantur immediatè, quia prædicantur duntaxat mediante subiecto: ergo illa tria non sunt vniuersalia, sed genus tantum & species. Confirmatur, quia prædicabile accidentis reuocatur ad genus, quantitatem, & qualitatem: ergo non sunt quinque prædicamenta.

Resp. negando quod differentia, proprium, & accidens non prædicantur immediatè; etsi enim verum sit, concreta connotatiue non prædicari nisi cum subiecto; falsum tamen est, illa non prædicari nisi mediante subiecto: id enim quod prædicatur, non est sola forma, sed subiectum confusè significatum simul cum forma prædicatur de se ipso significato confusè: sicut etiam prædicata essentialia prædicantur cum supposito, non autem mediante supposito. Ad confirmationem respondeo, accidens comparatum ad inferiora esse posse genus; si autem compareretur cum subiecto, est quintum prædicabile.

Tertia ob-  
iectio.

Obiicitur tertio, videri quod plura sint vniuersalia, quam quinque. Primo enim sicut genus & species sunt duo distincta prædicabilia, quia genus prædicatur de pluribus specie differentibus, species de pluribus differentibus numero; sic differentia generica, & differentia specifica duo debent esse diuersa prædicabilia, cum eodem modo vna prædicatur de pluribus differentibus specie, altera de pluribus differentibus numero. Idem dici etiam potest de proprietatibus genericis & specificis, quæ constituent similiter diuersa prædicabilia. Secundo, indiuiduum erit vnum vniuersale; certum enim est, quod prædicetur de multis; dicitur enim, *Petrus est indiuiduum*: *Paulus est indiuiduum*. Similiter ratio suppositi, & personæ, siue dubio est aliquid commune multis, cum dicatur de multis. Tertio, hæc prædicatio: *Rationale est animal*: *Rationale est sensitiuum*, non pertinet ad vllum ex quinque prædicabilibus; nam *animal*, & *sensitiuum*, sunt extra conceptum rationalis: ergo non sunt illius genus. Quarto, prædicatio defi-

initionis de suo definito, vt: *Omnis homo est animal rationale*, prædicatio est vniuersalis, quæ non pertinet ad vllum ex quinque prædicabilibus, atque constituit speciale aliquod prædicabile.

Resp. ad primam, negando quod differentia generica & specifica sint æquè distincta prædicabilia, ac genus & species; falsum enim est, quod supponi videtur in argumento, genus & speciem in eo solum distingui, quod vnum prædicetur de pluribus differentibus specie, alterum de pluribus differentibus numero: negari videlicet, numerum prædicabilium peti ex diuersis inferioribus. Distinguntur ergo genus & species, quod genus sit pars essentie determinabilis; species autem sit tota essentia.

Ad secundam negatur, quod indiuiduum, vel signatum, vel vagum, sit vniuersale; quia vt aliquid sit vniuersale, debet conuenire vniocè inferioribus: communis ratio indiuidui, vt suppono ex Metaphysica, cum sit transcendentalis (significat enim vnitatem ipsius entis, quæ analogica est, vt eo loco probabitur) non potest esse vniuersale, de quo hic agitur. Indiuiduum autem vagum, vt cum dicitur, *Aliquis homo*, est aliquid omnino singulare; si enim esset aliquid vniuersale, responderi nullo modo posset huic sophismati: *Aliquis homo est sacrilegus*: *S. Ioannes est aliquis homo*: ergo *S. Ioannes est sacrilegus*. Respondetur enim duntaxat potest, quod ex particularibus præmissis vitiosa est consequentia. Si autem indiuiduum vagum est vniuersale, consequentia non erit ex purè particularibus: ergo illud non est vniuersale, neque se habet vt aliquid commune multis, sed vt aliquid proprium vni, non determinatè, sed indeterminatè ac disunctiue; ideoque propter indeterminationem, non propter communitatem applicari potest huic, vel illi; vocaturque propterea indiuiduum, sed vagum, & indeterminatum.

Rationem etiam suppositi ac personæ nego constituere speciale aliquod prædicabile; reuocari positi. autem ad prædicabile proprii; adeo vt cum dicitur, *Petrus est persona*, sit prædicatio proprietatis de subiecto suo, quia personalitas est vera proprietas substantiæ. Neque dicas cum Ariaga disp. 9. num. 3. illud non est proprietas, quod est de conceptu essentiali alicuius rei: sed personalitas includitur in conceptu Petri; Petrus enim est compositum ex natura, & personalitate: ergo personalitas non est proprietas. Resp. enim, Petrum sumi posse, vel specificatiue, prout solam dicit naturam; vel reduplicatiue, prout dicit naturam, & personalitatem. Fateor personalitatem esse de conceptu Petri sumpti reduplicatiue, sicut albedo est de conceptu parietis albi. Non est autem personalitas de conceptu Petri sumpti specificatiue, prout dicit solam essentiam. Itaque personalitas de Petro sumpto specificatiue, prædicatur vt proprietas; de Petro autem sumpto reduplicatiue, prædicatur vt genus.

Ad tertiam respondeo, illas prædicationes: *Rationale est animal*, esse indirectas, atque ita, illas non pertinere ad vniuersalia, quæ debent directè prædicari. Vel etiam dici potest, quod rationale, si substantiue sumatur, pertinet ad genus; si sumatur adiectiue, pertinet ad proprium, quia animal est extra conceptum rationalis, & conuenit omni rationali. Hæc propositio: *Rationale est sensitiuum*, pertinet ad proprium; hæc verò: *Animal est homo*, pertinet ad prædicabile accidentis.

Ad quartam respondeo, prædicationem definitionis de suo definito pertinere partim ad genus, quartam partem ad speciem,

Indiuiduum

DEPHODG



*Errum diuisio illa vniuersalium sit vniuoca.*

**V**niuoca erit illa diuisio, si eadem omnino ratio significata per nomen *vniuersalis*, conueniat generi, speciei, &c. Erit analoga, si partim sit eadem & partim diuersa.

Affertio affirmatiua.

Probatio.

Dico secundò. Vniuersale diuiditur in quinque species, tanquam genus vniuocum ad illas.

Ratio est, quia tunc aliqua ratio superior vniuocè conuenit suis inferioribus, quando ita perfectè potest ab illis præscindi, vt nec illa includat, neque in illis includatur: vniuersale in communi, neque includit in conceptu suo genus, speciem, differentiam, &c. vt patet, neque in eorum differentiis includitur; possum enim rationem generis specialiter concipere, quin concipiam illud esse vniuersale: ergo vniuersale genus est vniuocum ad quinque vniuersalia.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Si vniuersale genus est vniuocum, sequitur genus esse superius & inferius seipso; superius, vt est vniuersale; inferius, vt est primum vniuersale: hoc autem absurdum videtur. Neque dicas, vniuersale vt est genus, esse superius, & prius seipso vt est species. Contrà enim insto. Si genus est species vniuersalis: ergo species prædicatur de genere; quod implicat. Deinde vna species non potest prædicari de altera, quæ subest eadem generi; v. g. dicere non licet, *Homo est equus*: *Genus & species*: sunt species vniuersalis: ergo falsum est dicere, *Genus est species*. Denique si genus, quod est primum prædicabile, sit species: ergo prædicabilia confundentur.

Resp. implicare quidem, vt aliquid sit superius seipso sub eodem conceptu; sed non implicare, vt aliquid sub vno conceptu sit superius seipso, & sub altero conceptu inferius. Genus igitur, vt est prima species vniuersalium, est inferius seipso vt est vniuersale in communi; sic enim vniuersale vt genus ad omnia vniuersalia est prius seipso prout prima species vniuersalium. Ad instantias autem respondeo, speciem posse prædicari de genere, non quatenus est genus, sed quatenus participat rationem speciei. Verum est, quod vna species realis, & essentialis non potest prædicari de altera specie: species autem vna denominatiua prædicari potest de altera specie: v. g. dicere licet: *Album est dulce*. Denique nego, confundi vniuersalia, etiamsi reuerà genus sit species vniuersalium, accidentaliter, & denominatiue per aliam secundam intentionem speciei superadditam.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Genus debet esse aliquod vniuersalius quàm species: sed vniuersale non est vniuersalius genere, cum genus contineat in se vniuersale: ergo vniuersale non est genus.

Resp. distinguendo minorem: vniuersale vt est genus, non est vniuersalius genere vt species, nego; vniuersale vt est species generis, non est vniuersalius genere, concedo. Vniuersale autem continetur sub genere, quatenus est species, non quatenus est genus.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Nullum transcendens esse potest genus vniuocum: ratio prædicabilis, vt sic, est aliquid transcendens, cum includatur in differentiis vniuersalium; nam qualibet differentia pertinet ad tertium prædicabile, scilicet ad differentiam: sed qualibet ratio vniuersalis est differentia: ergo ratio prædicabilis includitur in omnibus differentiis inferiorum, & est aliquid transcendens. Confirmatur, quia vniuersale in communi est genus:

**A** ergo vniuersale in communi includitur in vno è suis inferioribus.

Resp. negando, quod communis ratio vniuersalium sit transcendens, & includatur in suis inferioribus; ratio enim propria generis, v. g. non includit formaliter vniuersalitatē, cum dicat tantum prædicari incompletè, seu esse partem determinabilem. Verum igitur est, quod differentia qualibet adequatè sumpta, est prædicabilis; si autem sumatur incompletè, prout abstrahit ab vniuersalitate, non est prædicabilis. Ad confirmationem respondeo, vniuersale includi in vno è suis inferioribus, vt dixi; sed nego illud includi in eius conceptu præciso. Denique licet verum sit, quod nulla ratio purè realis intrinseca conuenire potest substantiæ & accidenti, quia quidquid realiter & intrinsecè conuenit accidenti, conuenit illi dependenter à substantia; potest tamen aliqua denominatio extrinseca, & per intellectum accidenti conuenire, etiam independenter à substantia.

## SECTIO II.

### De Genere.

**I**stud est primum prædicabile, non ratione perfectionis, sed ratione vniuersalitatis; de quo video disputari plurima. Hæc autem omnia facile reuoco ad tria capita: quomodo genus definiatur, quomodo prædicetur, de quibus prædicetur.

### §. I.

#### Quomodo genus definiatur.

**C**ertum est, posse genus definiri prout est prima species vniuersalium; nulla enim est species, quæ non constet genere & differentia; quæ duo componunt veram definitionem, & ad eam sufficiunt.

Dico primò: Genus rectè posse definiri primò essentialiter & propriè, *Id quod est vnum aptum inesse pluribus tanquam pars determinabilis*. Secundò descriptiue per proprietatem, *Id quod est aptum prædicari in quid de pluribus specie differentiis*.

Primam definitionem voco essentialē, quia propria quidditas vniuersalis est aptitudo, vt sit in multis, ex qua essentia emanat aptitudo ad prædicationem, tanquam vera proprietas. Obseruo ergo ad explicationem primæ definitionis, reperiri necessariò duo in quolibet composito essentiali, quorum vnum est potentia, alterum verò est actus. Potentia vocatur illa pars, quæ est ex se indeterminata, & determinatur per aliam: actus illa pars, quæ determinat aliam. In composito physico v. g. potentia, seu pars determinabilis, vocatur materia; actus autem, seu pars determinans, dicitur forma. In composito autem metaphysico pars determinabilis, seu potentia, vocatur genus; actus autem dicitur differentia. Et per analogiam ad compositum physicum, pars determinabilis vocatur materia metaphysica; pars autem determinatiua, forma metaphysica.

Dicitur itaque genus, *Id quod potest inesse pluribus*, &c. Vbi priores illæ particulae, *id quod*, tenebant locum generis, si significant genus esse vniuersale, vt contendit Toletus; nihil enim est incommodi dicere, quod aliqui opponunt, vniuersalitatē esse differentiam. Si autem, vt alij volunt, particulae, *id quod*, significant subiectum, seu

Duplex definitio generis.

Actus & potentia.

Particulae prioris definitionis explicatae.



## Disp. II. Quæst. II. de Vniuers. & Prædicab. 25

seu naturam, quæ denominatur genus, sicut quoties aliquod concretum accidentale definitur, subiectum loco generis ponitur in recto, ut cum dicitur, *Album est disgregatum visus*, in recto id quod definitur, est corpus affectum albedine; quando verò definitur in abstracto, tunc subiectum ponitur loco differentie in obliquo, ut risibilitas est hominis aptitudo ad ridendum. Si, inquam, particula, *id quod*, significant ipsam naturam, tunc loco generis in hac definitione, est totum illud, *Id quod est aptum inesse multis*; reliquæ verò loco sunt differentie, ut patet determinabilis; quia genus ex se indeterminatum est ad plures species; animal v.g. conuenire potest homini, vel equo: determinatur verò per rationale ad hominem, per hinnibile ad equum.

Prædicari in quid.

In secunda definitione duo explicari debent, quid sit *prædicari in quid*; per quod genus distinguitur à differentia, proprio & accidente: deinde quid sit *incomplete prædicari*. Primum igitur prædicari in quid, est *prædicari ad modum per se stantis*, seu est esse concretum substantiatum, ut patet hominem, esse animal. Prædicari verò in quale, est *prædicari per modum adiectiui*, & determinantis aliud, siue est esse concretum adiectiuum; nam esse rationale, risibile, album, termini sunt adiectiui. Prædicata substantiua dicuntur *prædicari in quid*, quia per illa respondetur ad quæstionem, *quid est*; ut si queras quid sit homo, respondeo esse animal. Adiectiua prædicantur *in quale*, quia per illa respondetur ad quæstionem *quale sit*; ut cum queritur, qualis sit homo, respondetur, rationalis, risibilis, albus. Secundò incomplete prædicari est ita prædicari, ut formaliter distinctè vna solum pars essentie explicetur, tota verò essentia confusè: ut cum dicitur, *Homo est animal*. Prædicari autem completè, est ita prædicari, ut tota essentia subiecti explicetur formaliter distinctè, quamuis non explicetur distinctè singularitas, ut cum dicitur, *Petrus est homo*.

Incomplete prædicari.

Liquet igitur ex his, rectam esse definitionem hanc secundam à Porphyrio traditam, in qua necesse non fuit ponere illud, *incomplete*; quia eo ipso, quod genus prædicatur de pluribus differentiis specie, prædicatur *incomplete*.

Prima obiectio. Genus non definitur.

Obiicitur primò. Si genus definitur per proprium genus & differentiam, datur infinitus progressus in generibus; quia sicut primum genus habet secundum genus, per quod definitur; sic secundum genus definitur per tertium genus, & sic in infinitum. Deinde ens per accidens, quod nimirum constat ex rebus diuersorum prædicamentorum, non potest definiri: huiusmodi est genus, quod componitur ex natura & vniuersalitate: ergo genus non potest definiri. Denique si genus definitur, datur aliquod genus vniuersum commune omnibus generibus, etiam generalissimis; imò enti reali, & enti rationis; quod tamen est falsum, ut communiter dici solet.

Resp. nullum dari progressum infinitum, etiam si genus definiatur, & habeat genus; quia quoties fit progressus ad aliquid eiusdem rationis cum eo à quo cepit progressus, semper est sistendum in primo quo: hic autem progressus incipit à genere, quod est pars definitionis; idè sistendum in eo est, cum eodem modo definiatur, non ut genus, sed ut prima species vniuersalium. Ens per accidens definiri potest, quatenus constat ex pluribus, quæ sunt aliquo modo vnum; acenus enim lapidum, v.g. definiri eo modo potest, & multò magis definiri poterit illud ens per accidens, cuius partes se habent per modum actus & potentie, ut album, genus, & alia concreta. Enti

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A reali, & enti rationis, generibusque generalissimis dari potest aliquid commune vniuersum, quod sit denominatio solum extrinseca intellectus.

Obiicitur secundò. Pars nunquam potest prædicari de toto; non enim dicere licet, *Homo est dignus*; ergo si genus est pars, non potest prædicari de specie, quæ est totum. Deinde idè animal prædicatur ut pars, quia non dicit formaliter totum illud, quod dicit homo: sed homo non dicit formaliter totum quod dicit Petrus; igitur etiam species prædicatur ut pars. Denique sicut genus dicitur recipere differentias minùs communes, sic dici eodem iure potest pars materialis, quia recipit differentias indiuiduales, & per eas contrahitur. Imò non maior videtur ratio cur genus recipiat differentiam, quam quod differentia recipiat genus.

Resp. verum esse, quod pars physica, v.g. materia, nunquam prædicari potest de toto, quia realiter ab eo distinguitur; pars verò metaphysica, ut animal, prædicatur de toto, quia non distinguitur ab eo realiter, & est totum confusum, cum sit abstractum abstractione totali; est enim verè concretum. Deinde distinguitur illa maior: idè animal prædicatur ut pars, quia non dicit formaliter totum quod dicit homo, secundum essentiam communem, concedo; quia non dicit totum quod dicit homo materialiter, nego. Homo dicit formaliter totum quod dicit homo secundum essentiam communem, idè prædicatur ut totum, etiam si non dicat totum, quod Petrus dicit materialiter, id est, non dicit singularitatem Petri propriam. Vnde sequitur, hanc prædicationem: *Petrus est homo*, esse quidem incompletam physicè, sed esse completam metaphysicè, quia dicit totam essentiam communem pluribus; & esse quoque completam logicè, siue in ordine ad scientias, quæ de solis agunt rationibus communibus. Denique differentia in hoc differt à genere, quod genus sit pars materialis essentie communis; differentia verò dici possit pars materialis ipsius indiuidui, sed non essentie communis. Ratio autem cur genus dicatur recipere differentiam, est quia cum latius pateat quam differentia, per illam determinatur.

Secunda obiectio, fallam esse definitionem.

Obiicitur tertio. Quando genus definitur, vel id quod definitur in recto, est tantum ipsa natura realis subtrata vniuersalitati, vel sola vniuersalitas, vel aggregatum ex natura, & vniuersalitate: nullum ex his definitur: ergo vana est definitio. Probatur minor; nam id quod definitur, est vnum aptum prædicari de pluribus specie differentiis, sed neque sola natura prædicatur de pluribus, cum non sit à parte rei vniuersalis; neque sola vniuersalitas, quæ nec inest, neque prædicatur de inferioribus generis; neque aggregatum ex utraque, natura enim & vniuersalitas non affirmantur de inferioribus; ergo nullum ex his tribus est id quod definitur in hac definitione generis. Idemque argumentum de aliis omnibus prædicabilibus fieri potest.

Tertia obiectio. Quid definiatur in definitione generis.

Respondeo in hac definitione generis, id, quod adequatè definitur, nec esse solam naturam subtrata vniuersalitati, neque solam vniuersalitatem, neque aggregatum ex utraque, propter rationem allatam in argumento; sed naturam prout connotat vniuersalitatem tanquam rationem formalem, esse id, quod definitur, ita ut in recto natura sola definiatur, prout connotat in obliquo vniuersalitatem. Illud enim est definitum in qualibet definitione, cui conuenit definitio. Sed definitio generis conuenit naturæ, prout in obliquo connotat vniuersalitatem; illa enim est quæ potest prædicari de pluribus: ergo illa est id, quod definitur. Deinde in alijs omnibus concretis idem contingit;

DEI HODG



si enim definiatur album id, quod est habens albedinem, siue id, quod est disgregatum visus, definitur in recto ipsum subiectum, in quo est albedo, prout connotans albedinem in obliquo.

Instabis. Definitio essent alis conuenire necessarium debet rationi formali, quæ sola est essentia rei: vniuersalitas sola est ratio formalis: ergo illa sola definitur.

Deinde id quod constituit definitum, est id quod definitur: vniuersalitas constituit genus: ergo illa est id quod definitur.

Resp. distinguendo primam maiorem: definitio formalis & essentialis conuenit ut quod, & in recto rationi formali, & essentiali rei, nego; conuenit in obliquo, & ut quo, concedo; sic enim de omnibus concretis nuper dixi. Similiter, id quod constituit definitum in obliquo, est id, quod definitur in recto, nego; est id quod definitur in obliquo, concedo. Genus enim ita est constitutum ex natura & vniuersalitate, ut in recto dicat naturam, vniuersalitem autem tantum in obliquo.

## §. II.

## Quomodo genus prædicetur.

**D**ixi, genus posse prædicari: nunc circa modum, quo potest prædicari, tria difficultatem habent, an prædicetur ut totum, an prædicetur in quid, an copulatiue prædicetur de multis.

Affertio bimembri.

Dico secundò, genus etiam quando actu prædicatur, esse totum essentialiter confusum; esse autem totum potentiale, quando est prædicabile, non quando actu prædicatur.

Totum actuale, totum potentiale.

Obserua primò, totum aliud esse actuale, aliud potentiale: totum actuale illud est, quod continet actu partes definitionis: totum potentiale illud, quod non actu, sed potestate continet plura inferiora minus communia, de quibus proinde potest prædicari. Animal v.g. totum est potentiale, quia non actu, sed potentia continet hominem & equum, qui sunt minus communes quam animal. Totum verò actuale, siue sit essentialiter, siue integrale, continet semper actu suas partes, & non est aliquid illis communius; partes enim v.g. definitionis æquale patet ac totum definitum. Vnde fit ut totum potentiale, totum quidem reperiatur in suis partibus, secundum suam essentiam, sed non secundum communitatem, seu potentialitatem.

Totum essentialiter, totum integrale.

Obserua secundò, totum actuale duplex esse; aliud enim est essentialiter, aliud integrale. Totum essentialiter illud est, quod continet partes definitionis; & illud iterum est duplex, aliud confusum, aliud signatum. Totum essentialiter confusum, illud est, quod explicitè dicit vnâ partem definitionis, aliam verò confusè; quia cum sit concretum, dicit in recto suppositum, ut animal: totum essentialiter signatum est, quod explicitè dicit totam essentiam, ut homo. Totum integrale, illud est, quod continet partes quantitativas. His positis

Probatio assertionis.

Ratio, cur genus sit pars essentialis explicitè, manifesta est; quia pars est definitionis, componitque speciem vnâ cum differentia. Sed quia tamen nomen est concretum, significans in recto ipsum suppositum confusè, propterea est totum essentialiter, sed confusum; & hoc cuiuslibet vniuersali conuenit, quod confusè saltem sit totum actuale. Sed quia tamen totum potentiale, ut dixi, est illud, quod est superius & communius suis partibus, quas non actu, sed potestate continet, genus communius est speciebus, quas potestate continet, quatenus est prædicabile;

**A** cum verò actu prædicatur, non est quid communius, aut superius speciebus, sed illis adequatur, & illas actu continet; idè genus, quando est prædicabile, totum est potentiale; quando actu prædicatur, non est nisi pars potentialis; si enim esset totum potentiale, tunc quando actu prædicatur, deberet tota communitas generis reperiri in qualibet specie, de qua prædicatur.

Obiicitur primò. Sequitur quod in definitione hominis rationale bis ponitur, si verum sit, quod genus sit totum confusè; animal enim est totum: ergo significat rationale per se solum: ergo cum dico animal rationale, bis dico rationale; dico enim animal rationale rationale. Prima obiectio.

**B** Resp. negando quod in definitione speciei bis ponatur differentia; nomen enim concretum, si solitarie sumatur, est totum; si autem coniunctum cum differentia, seu in definitione speciei, illud solum dicit, quod significat explicitè; non autem ipsam differentiam, quæ simul ponitur post illud; per differentiam enim adiunctam limitatur genus, ut non significet nisi totum illud quod implicite inuoluit, cum in definitione non sumatur nisi ut pars.

Obiicitur secundò. Si genus est aliquod totum continens potentialiter omnes species: ergo cum dico, Homo est animal, significatur, quod homo est omne animal. Secunda.

Resp. negando consequentiam, quia genus, quando actu prædicatur, est tantum pars, non autem totum. Tertia.

**C** Obiicitur tertio. Genus, seu materia metaphysica non est magis totum, quam materia physica: sed materia physica nullo modo est totum, neque prædicatur de toto: ergo neque genus.

Resp. negando maiorem; ratio enim disparitatis est, quia genus cum non distinguatur à differentia, quæ est quasi eius forma, non habet modum subsistendi distinctum à modo subsistendi differentia, & totius essentia; idè significando suam subsistentiam in concreto, significat ipsum totum, quod non habet subsistentiam distinctam à subsistentia generis. Materia verò cum sit distincta à forma & à toto, subsistit per propriam subsistentiam distinctam à subsistentia totius & formæ, idè licet sumatur cum sua subsistentia, non dicit propterea totum; idè genus est totum, non autem materia.

**D** Dico tertio. Genus verè ac propriè prædicari in quid, id est ad modum per se stantis, non autem per modum adiacentis. Genus prædicatur in quid.

Ratio est, quia ut aliquid prædicetur in quid, duo requiruntur, ut sit de rei essentia, & ut sit nomen substantiuum; vtrumque conuenit generi, quod est prima pars essentia, & semper est substantiuum, ut animal. Imò illud quod est primum in re, & determinabile per aliud, non potest esse adiacens; quod enim adiacet, determinat; hoc autem quod determinatur, est id, cui aliud adiacet. Genus, ut sæpe dixi, non determinat, sed determinatur: ergo genus non adiacet, sed substat. Fateor concretum adiectiuum prædicari per modum inhaerentis & adiacentis; concretum verò substantiuum prædicari ad modum per se stantis.

**E** Obiicitur. Genus est aliquid minus nobile, quam differentia: ista prædicatur in quælibet quid: ergo genus prædicari non potest in quid, alioqui modum habet prædicandi nobiliorem, quam differentia. Obiectio.

Resp. distinguendo maiorem. Genus est aliquid minus nobile, quam differentia, secundum modum essendi à parte rei proprium differentia; concedo; differentia enim se habet per modum actus & formæ; quod est nobilius quam se habere per modum potentia ac materiae. Differentia secundum



dum modum essendi prout concipitur à nobis est nobilior genere ut concipitur à nobis, nego maiorem; quia genus concipitur ut aliquid absolutum, & recipiens formam: differentia verò concipitur per modum inhaerentis, & aduenientis generi.

Vniuersale  
an possit  
copulatiue  
prædicari.

Dico quartò, nullum esse vniuersale, quod non sit aptum prædicari de omnibus inferioribus suis sumptis copulatiue, tamen de illis non actu prædicetur, nisi disiunctim & confusè; adeò ut genus v. g. dum est vniuersale, sumatur in suppositione copulatiua; dum verò actu prædicatur, sumatur in suppositione confusa. Hac conclusio solà eget explicatione, pro qua

Obserua suppositionem esse acceptionem vocis pro pluribus inferioribus per copulam & coniungentem integras propositiones; ut cum dicitur: *Omnis homo est rationalis*, significatur, quod & Petrus est rationalis, & Paulus, & Ioannes, &c. ubi vides particulam, &, coniungere integras propositiones. Et in hac prædicatione copulatiua necesse est, ut totum prædicatum conueniat subiecto, ut cum dico: *Ioannes est Rhetor, & Musicus, & Philosophus*, oportet, ut tria illa verè conueniant Ioanni, alioqui est falsa prædicatione, si vel vnum desit. Suppositio confusa, quæ vocatur etiam disiuncta, est acceptio vocis pro pluribus inferioribus per particulam *vel*, connectentem simplices terminos, non autem integras propositiones, ut cum dico: *Petrus est vel Rhetor, vel Musicus, vel Philosophus*, sufficit enim tunc ad veritatem, ut subiecto conueniat pars aliqua prædicati, quæcunque illa sit: sicut cum etiam dicitur: *Petrus est hic, vel ille homo*. His positis

Probatio as-  
sertionis.

Ratio positæ assertionis euidens est; nam illud, ut dixi, prædicari potest copulatiue de pluribus, quod potest affirmari de pluribus per particulam, &, connectentem integras propositiones: quodlibet vniuersale huiusmodi est; homo enim abstractus prædicari potest de omnibus hominibus, ita ut dici possit, & Petrus est homo, & Paulus est homo: ergo quodlibet vniuersale copulatiue aptum est prædicari de pluribus.

Quod autem actu prædicetur confusè, ratio est, quia prædictio actualis destruit totam vniuersalitatem, ut probabo in Metaphysica: ergo vniuersale non prædicatur amplius vniuersaliter, sed tantum confusè.

Prima obie-  
ctio.

Obiicitur primò, illud non est prædicabile copulatiue de pluribus, quod non potest singulis totum conuenire; genus & quodlibet vniuersale non potest totum conuenire singulis inferioribus: ergo non potest prædicari copulatiue. Neque dicas, vniuersale posse conuenire singulis secundum essentiam, non secundum potentialitatem. Sic enim insto. Si vniuersale idè est prædicabile copulatiue de pluribus, quia potest prædicari totum de singulis secundum essentiam, sequitur illud etiam copulatiue prædicari actu de pluribus; nam prædicatur totum secundum essentiam. Hoc autem negatum est: ergo, &c.

Resp. satis esse, quod vniuersale sit prædicabile de pluribus secundum essentiam, nec esse necesse, ut prædicabile sit totum secundum potentialitatem; dum autem actu prædicatur, desinit esse vniuersale, cum adæquatur subiecto suo, idè non est id quod prædicatur.

Secunda  
obiectione.

Obiicitur secundò, Prædictio vniuersalis illa est, in qua tota natura de aliquo prædicatur: ergo si de quolibet inferiori non prædicatur nisi eius natura, nulla datur prædictio vniuersalis.

Resp. distinguendo consequentiam: nulla datur prædictio vniuersalis, in qua subiectum est sine

R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

A gulate, concedo; in qua subiectum est vniuersale, nego.

§. III.

De quibus prædicetur genus.

Dixi, genus prædicari de pluribus specie differentibus, circa quod video quæri posse, utrum possit prædicari etiam de pluribus numero differentibus: secundò, utrum genus exigit plures species, saltem possibiles, de quibus possit prædicari.

Dico quintò, Genus immediatè non prædicatur de pluribus numero differentibus, completè ac distinctè cognitis; prædicari autem potest etiam immediatè de illis incompletè cognitis. Duas partes habet posita conclusio, quarum explicatio erit sufficiens earum probatio.

Conclusio  
bipartita.

Obserua igitur primò, indiuiduum aliquod tunc cognosci completè, quādo cognoscuntur omnia illius prædicata essentialia; tunc incompletè cognosci, quoties non omnia cognoscuntur prædicata illius essentialia, ut cum à longè video currès animal, neque possum discernere, an sit homo, an leo. Sic etiam, cum dico: *Hoc animal, est animal*, subiectum huius propositionis, siue, *hoc animal*, cognoscitur incompletè.

Completè  
cognosci &  
incompletè.

Obserua secundò, quod immediatè prædicari, est ita tribui alteri, ut inter prædicatum & subiectum nihil sit medium, ut: *Petrus est homo*. Mediatè tribui est, quando inter prædicatum & subiectum mediat aliquid, ut: *Petrus est animal*: nam inter Petrum & animal, mediat homo. His positis

Immediatè  
prædicari &  
mediatè.

Prima pars conclusionis videtur manifesta, quia genus immediatè non potest de illo prædicari, quod immediatè non illi subiicitur: indiuiduum soli speciei subest immediatè, non autem generi: ergo genus immediatè non potest prædicari de indiuiduis. Probatur minor: tum immediatè aliquid alteri subiicitur, quando illud est causa ut alterum ei subiiciatur: sola species est causa cur indiuiduum subiiciatur generi; ratio enim cur Petrus sit animal, est quia Petrus est homo: ergo indiuiduum immediatè non subest nisi speciei. Deinde non potest esse immediata progressio à summo ad imum, nisi per medium: gradus genericus est supremus; gradus indiuidualis est infimus: ergo non potest fieri progressio à gradu generico ad indiuidualem, nisi per medium, qui est specificus.

Prima pars  
assertionis.

Secunda pars probatur, quia genus immediatè potest de illo prædicari, quod potest immediatè ab illo abstrahi: sed genus immediatè abstrahi potest ab indiuiduo cognito incompletè ac confusè; cum enim video à longè duos homines currentes, & duos leones, scio illa esse animalia; nescio qualia sint animalia: tunc ab illis abstraho immediatè genus animalis: ergo genus prædicari potest immediatè de indiuiduis incompletè ac confusè cognitis.

Secunda  
pars.

Obiicitur primò. Cum dico: *Hoc genus est genus*, vel etiā: *Hoc animal est animal*, tunc subiectum quod est indiuiduum, distinctè cognoscitur; & tamen genus immediatè de illo prædicatur: ergo genus prædicatur immediatè de indiuiduo cognito distinctè.

Prima ob-  
iectio.

Resp. genus quādo est prima species prædicabili, posse immediatè prædicari de indiuiduis, ut est dico: *Genus est genus*; sed illa prædictio est secūdi prædicabilis, non primi, cum genus habeat se ut species respectu illius, & illius generis; quia continet tantum diuersa numero: & ita licet ibi prædicetur genus, nō prædicatur tamè ut genus, sed ut species. In altera illa propositione: *Hoc animal est animal*, vel hoc animal cognoscitur completè, sicque animal prædicatur solum mediatè de hoc animali; si autem cognoscatur incompletè secundum solam rationem animalis, prædicatur immediatè.

C 3

Obiectio



Secunda  
obiectio.

Obiicitur secundò. Hæc propositio: *Homo est animal*, æquivaleret huic: *Petrus est animal*, *Paulus est animal*, &c. Sed hæc: *Homo est animal*, est immediata: ergo hæc etiam: *Petrus*, *Paulus*, &c. est *homo*, est etiam immediata. Confirmatur. Hæc propositio: *Petrus est animal*, æquivaleret huic: *Hic determinatus homo est animal*, quæ est immediata: ergo etiam vna est immediata, quàm altera.

Resp. hanc propositionem: *Homo est animal*, æquivalere quidem realiter huic: *Petrus est animal*, *Paulus est animal*; sed formaliter non æquivalere, quia homo non significat Petrum, & Paulum adæquate, sed confusè tantum & inadæquate; idèoque prima propositio immediata est, non secunda. Ad confirmationem dixi: super, hanc propositionem: *Hic determinatus homo est animal*, esse mediatam tantum, si subiectum cognoscatur adæquate; sicut cum dico, *Petrus est animal*; si autem cognoscatur incompletè, immediata est, & non æquivaleret illi alteri: *Petrus est animal*.

Tertia ob-  
iectio.

Obiicitur tertio. Si genus prædicatur immediatè de indiuiduis, vel prædicatur de illis ut genus, vel ut species: neutrum dici potest; genus enim ut genus prædicatur solum de specie differentibus; Petrus autem & Paulus non differunt specie: ergo non prædicatur de illis ut genus. Sed neque prædicatur ut species, cum non prædicetur ut tota essentia.

Resp. genus prædicari ut genus, quando prædicatur de numero differentibus completè cognitis, ut cum dico: *Petrus est animal*; quia prædicatur ut pars essentia: genus autem prædicari potest mediatè de numero differentibus. Quando autem prædicatur de pluribus incompletè cognitis, tunc prædicatur ut species, ut cum dico: *Hoc animal est animal*; quia tunc prædicatur immediatè de pluribus differentibus numero, & ut tota essentia; quod est esse speciem.

Quarta ob-  
iectio.

Obiicitur quartò. Illa quæ sunt priora, prius necessariò cognoscuntur, quàm ea quæ sunt posteriora: sed vniuersalia sunt priora, gradus scilicet genericus prior est gradu specifico: ergo prius cognoscitur gradus genericus, quàm gradus specificus: ergo immediatius semper cognoscitur gradus specificus de indiuiduo, quàm genericus. Confirmatur. Nam indiuiduum, etiam incompletè cognitum, subest solum mediatè generi: ergo mediatè solum prædicatur de illo genus.

Satisfit.

Resp. verum esse, quod in cognitione completa prius ea cognoscuntur, quæ sunt priora; in cognitione autem incompleta, non prius cognoscuntur. Ad confirmationem concedo, indiuiduum subesse semper per se loquendo immediatius speciei, quàm generi; sicque per se loquendo id quod immediatius subiicitur generi, est id de quo genus immediatius prædicatur; sed per accidens tamen prædicari potest de illo quod illi mediatè solum subiicitur; quia prædicatio confusa est, & inadæquata.

Genus exi-  
git plures  
species pos-  
sibiles, non  
plures exi-  
stentes.

Dico sextò, genus non exigere quidem habere sub se plures species actu existentes, sed habere tamen necessariò plures species possibiles.

Prima pars de speciebus actu existentibus vix eget probatione, quia ut aliquid sit verum genus, requiritur tantum ut sit aptum inesse ac prædicari de pluribus differentibus specie; si autem plures habeat sub se species possibiles, etiam si vna tantum, vel etiam nulla sit actu existens, erit tamen aptum inesse ac prædicari de pluribus specie differentibus: ergo erit verum genus etiam si non habeat sub se plures species actu existentes.

Secunda pars aliquos habet aduersarios, sed immerito; nam genus ut genus debet prædicari posse

A de pluribus specie differentibus; hæc est enim definitio generis: sed si vna tantum species sit possibilis, v.g. si nullum possibile sit animal præter hominem, non poterit illud prædicari de pluribus specie differentibus, nam hoc est prædicari de pluribus speciebus: ergo si vna tantum species sit possibilis, genus non erit verum genus; sicut nec erit vera species; si vnum dumtaxat indiuiduum sit possibile.

Deinde genus ut sit verè genus, contrahi debet, & determinari per differentiam: sed si latius non pateat quàm differentia, non poterit contrahi; quod enim necessariò vniuersalius est, est & determinabile: ergo illud prædicatum non esset genus, quod vnicam sub se haberet speciem possibilem.

Prima ob-  
iectio.

B Obiicitur primò. Tunc est verum genus, quando prædicatur incompletè de pluribus: sed si solus homo esset possibilis inter animalia, semper tamen animal prædicaretur incompletè tanquam pars essentia hominis; diceret enim tantum principium sensationis, non autem principium discursus, & posset præscindi vnum ab altero: ergo animal verum esset genus, quamvis sub se non haberet nisi vnam speciem. Variæ ad hoc argumentum excogitatae sunt solutiones, quibus omisiss.

Resp. distinguendo maiorem: tunc est verum genus, quando prædicatur incompletè per modum partis determinabilis per vltiores differentias minus communes, concedo; quando prædicatur incompletè, non per modum partis determinabilis per differentias minus communes, nego. Si autem esset possibilis vna dumtaxat species animalis, animal non determinaretur, ut dixi, neque contraheretur per rationale, cum æquè ambo latè paterent: unde animal tam esset differentia rationalis, quàm rationale differentia hominis, & vtrumque constitueret hominem æquè vltimò. Secundò dici etiam potest, quod animal tunc non prædicaretur incompletè de homine, sed diceret essentialiter in suo conceptu ipsum rationale, neque vnum cogitari posset sine alio formaliter conceptu, saltem implicite; qui enim diceret animal, diceret rationale, & econtrà. Sicut essentia Dei præscindi non potest ab eius singularitate, quia Deus est essentialiter immultiplicabilis. Eadem tunc esset ratio de specie humana, si præter eam nulla species animalis esset possibilis.

Secunda ob-  
iectio.

D Obiicitur secundò, etiam si vna tantum forma esset possibilis, materia tamen physica esset materia, & pars essentia; igitur materia etiam metaphysica esset verè genus, & pars essentia, quamvis vna tantum differentia esset possibilis.

Resp. negando consequentiam; disparitas enim est, quia materia physica realiter distinguitur à forma, idèoque benè intelligitur sine forma, & est pars essentia; genus autem, & alij gradus metaphysici non distinguuntur, atque ita vnus gradus non determinatur per alium, nisi quia est eo communior; neque distinguuntur ratione, nisi quia sunt in diuersis subiectis.

## SECTIO III.

## De Specie.

Q Væ disputata sunt hæcenus de genere, dici eadem omnia possunt de ipsa specie, manentque soluta eodem modo ex ibi dictis; unde mihi duo video superesse: primò, quid, & quotuplex sit species: secundò, quid & quotuplex sit indiuiduum.

S. I.



§. I.

*Quid & quodplex sit species.*

Definitio  
speciei vt  
prædicabi-  
lis.

**D**ico primò, speciem, prout est prædicabilis, seu prout dicit respectum ad inferiora, rectè de-  
finiri, *Id quod aptum est inesse pluribus numero dis-  
ferentibus vt tota essentia*; vel etiam, *Id quod potest  
prædicari de pluribus numero differentibus, in quid.*  
Neutra definitio eget explicatione, vel probatione,  
cùm eam abundè declararet definitio generis allata  
nuper; species enim (vt rectè obseruat Porphyrius,  
*in cap. de specie*) licet interdum sumatur pro ipsa pul-  
chritudine, ac forma rei alicuius; magis tamen pro-  
priè significat essentialiam, & vltimum rei concep-  
tum: ea videlicet dicuntur specie differre, quæ dif-  
ferunt essentialiter; vnde propria ratio speciei sita  
in eo est, quod sit tota essentia rei, composita ex ge-  
nere vniuerso, & differentia, tanquam ex materia,  
& forma metaphysica; ita vt conceptus obiectiuus  
speciei debeat necessariò includere duos conceptus  
obiectiuos ratione distinctos. Vnde ratio, cur diui-  
na natura non sit species, etiamsi possit prædicari  
de pluribus personis, est, vt aliàs dixi, quia in illis  
personis non multiplicatur, neque prædicatur de  
illis in numero plurali. Ratio autem personæ, licet  
ita prædicetur de diuinis personis, vt in illis multi-  
plicetur, non est tamen species respectu illarum,  
quia non est aliquid, in quo diuinæ personæ con-  
ueniant vniocè, vt suppono probatum *in tractatu  
de Deo Trino.*

Definitio  
speciei vt  
subiicibilis.

Dico secundò, speciem, vt est subiicibilis, id est  
secundum respectum quem dicit ad genus, rectè de-  
finiri, *Ea de qua genus in quid, & incompletè prædi-  
catur*; subiicibilis enim speciei non est aliud,  
quàm respectus speciei ad genus, quod de illa præ-  
dicatur, ad eò vt species vt subiicibilis sit correlatiua  
generis; genus enim est id quod prædicatur de spe-  
ciebus: ergo species est subiectum de quo prædica-  
tur genus.

Prima ob-  
iectio.  
De circulo  
vitio.

Obiicitur primò, vitiosum in huiusmodi defini-  
tionibus committi circulum; species enim definitur  
per genus, & genus per speciem, cùm dicitur genus  
esse id quod prædicatur de specie, speciem autem esse  
id de quo prædicatur genus. Imò cùm species defi-  
nitur per genus, potest in definitione speciei poni  
definitio generis, & tunc definitur species, de qua  
prædicatur in quid, id, de quo species prædicatur in  
quid; quod est explicare idem per idem.

Resp. nullum in huiusmodi definitionibus com-  
mitti vitiosum circulum, nam relatiua omnia (vt  
dicam agens de relatione, *in Metaphys.*) hoc ha-  
bent, vt sine ylo vitio vnum definitur per aliud,  
eo quod eorum essentia sit respicere aliud; v. g. de-  
finitur filius qui habet patrem, & pater qui habet  
filium. Ratio est, quia nomen relatiuum, v. g.  
*Pater*, considerari potest, vel secundum entitatem  
absolutam, vel secundum relationem. Cùm defi-  
niuntur per se inuicem relatiua, non definiuntur  
per aliud sumptum relatiuè, sed per aliud sumptum  
absolutè; idèoque sub diuersa ratione formali se  
inuicem notificant, & definiunt; entitas enim re-  
latiua vnius definitur per entitatem alterius abso-  
lutam, eo quod terminus relationis relatiuus non  
sit, sed absolutus. Eodem igitur modo genus defi-  
nitur per speciem, quia entitas relatiua generis de-  
finitur per entitatem absolutam speciei; & entitas  
relatiua speciei per entitatem absolutam generis;  
sicque idem non definitur per idem sub eadem ra-  
tione, sed sub diuersa. Vnde patet, fas non esse  
ponere in definitione speciei loco generis defini-  
tionem generis.

*R. P. de Rhodes curs. Philosoph.*

**A**tionem generis, quæ relatiua est; genus autem  
quod ponitur in definitione speciei est aliquid ab-  
solutum.

Obiicitur secundò, Species vt subiicibilis, vel  
est vniuersalis, vel non est vniuersalis. Non primum,  
quia vniuersale dicitur tantum in ordine ad infe-  
riora, in quibus potest inesse; species autem vt subii-  
cibilis, non respicit inferiora, sed genus dumtaxat:  
ergo species vt subiicibilis non est vniuersalis. Sed  
neque negari potest, illam esse vniuersalem, quia  
species vt subiicibilis differt ab individuo; non po-  
test autem differre, nisi sit vniuersalis; cùm indi-  
uiduum sit etiam immediatè subiiicibile generi. Dein-  
de species vt vniuersalis differt à genere & differen-  
tia; non differt autem nisi quatenus subiiicibilis;  
non enim concipi potest essentia completa nisi qua-  
tenus concipitur habere genus & differentiam: ergo  
species vt subiiicibilis est vniuersalis. Denique spe-  
cies vt subiiicibilis prædicatur de hac, & hac specie  
subiiicibili: ergo est vniuersalis.

Resp. speciem vt est subiiicibilis, non esse vniuer-  
salem, quia vt sic non est prædicabilis de pluribus  
inferioribus, cùm vt sic non respiciat nisi genus.  
Ad primam autem probationem, resp. speciem vt  
est subiiicibilis differre ab individuo, quia indivi-  
duum mediatè tantum subest generi completè con-  
ceptum; species autem completè concepta subest  
immediatè generi. Ad secundam probationem nego  
illam minorem: species prædicabilis non differt à  
genere & differentia, nisi quatenus subiiicibilis; spe-  
cies enim, quamuis non possit ad quare concipi  
vniuersalis, nisi concipiatur vt subiiicibilis potest ta-  
men inadæquatè concipi, atque ita non est vniuer-  
salis quatenus subiiicibilis. Ad tertiam probatio-  
nem fateor, speciem subiiicibilem esse vniuersalem  
si abstrahatur ab hac & illa specie subiiicibili; sed  
non vniuersalem præcisè vt subiiicibilem; sicut  
homo non est vniuersalis præcisè vt homo, sed  
prout abstractus à Petro & Paulo. Species ergo sub-  
iiicibilis non est essentialiter vniuersalis, sed deno-  
minatiuè; natura enim abstracta non est vniuersa-  
lis quatenus respicit aliquid superius, sed prout  
respicit inferiora.

Dico tertio, Rectè diuiditur species, maxime vt  
subiiicibilis, in subalternam, & infimam, seu spe-  
cialissimam. Subalternam ea est, quæ simul species  
est, & genus: species quidem respectu generis su-  
perioris, cui subiiicitur: genus autem respectu infe-  
riorum, de quibus prædicari potest; sic enim ani-  
mal dicitur species subalternam, quia respectu superio-  
ris, scilicet vniuersalis, est species; respectu inferiorum,  
scilicet hominis, leonis, equi, est genus. Species in-  
fima illa dicitur, quæ ita est species, vt nunquam sit  
genus, quia scilicet nulla sub se habet inferiora  
specie differentia; vt homo est species infima, quia  
sola sub se habet individua numero differentia.  
Vnde vides definitionem speciei prius allatam non  
conuenire speciei subalternæ, quæ prædicatur de  
pluribus specie differentibus; sed speciei tantum in-  
fimæ, quæ prædicatur de solis differentibus numero.

Secunda ob-  
iectio.

An species  
vt subiiicibi-  
lis sit vni-  
uersalis.

Species sub-  
alternam.

Species in-  
fima.

§. II.

*Quid & quodplex sit individuum.*

**D**ico primò, individuum primò intentionaliter  
sumptum, id est secundum ea quæ habet à parte  
rei, defini sicut commodè à Porphyrio, *Id cuius  
proprietas collectio in nullo alio reperiri potest om-  
nino eadem.* Vbi nomine proprietatum significan-  
tur accidentia versus hoc comprehensa.

Individui  
definitio  
sumpti pri-  
mò inten-  
tionaliter.

C 3 Forma



*Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.*  
 Quæ septem licet diuinitus reperiri possint eadem  
 omnia in pluribus indiuiduis, certum tamen est, vul-  
 go illa non solere reperiri; atque adeo definitio  
 hæc Porphyrij, tametsi rigorosa omnino non sit,  
 sufficere tamen aliquo modo nunc potest, donec  
 explicetur in Metaphysica plenius verior altera  
 definitio: *Indiuiduum est, ens omnino indiuisum in*  
*se, à parte rei existens;* idest cui repugnat in alia  
 plura diuidi quæ sint adæquatè idem cum ipso:  
 v.g. Petrus tametsi diuidi possit in corpus & ani-  
 mam, non potest tamen in plures diuidi Petros.

Quid sit  
 sumptum  
 secundo in-  
 tentionali-  
 ter.

Prima obie-  
 ctio.

Dico secundò. Indiuiduum sumptum secundò  
 intentionaliter, idest secundum ea quæ conueniunt  
 illi per intellectum, rectè definitur. *Id quod de vno*  
*tanti non prædicatur.* Quæ definitio licet clara videat-  
 ur, aliquas tamen habet difficultates non leues.

Obiicitur enim primò. In hac definitione, *In-*  
*diuiduum est id, quod de vno tantum prædicatur,* de-  
 finitur indiuiduum in communi: sed indiuiduum  
 communi, prædicatur de pluribus, de hoc nimi-  
 rum, & altero indiuiduo: ergo non est bonà defi-  
 nitio. Deinde illa definitio non omni conuenit in-  
 diuiduo, non enim conuenit indiuiduo vago, quod  
 reuerà tamen est indiuiduum, vt cum dicitur: *Pe-*  
*trus est quidam homo: Paulus est quidam homo;* de-  
 finitio tamen, si bona est, conuenire debet omni  
 indiuiduo.

Resp. in hac definitione, indiuiduum in com-  
 muni non definitur, provt est ratio aliqua commu-  
 nis omnibus indiuiduis, sed provt est ratio aliqua  
 singularis; siue definitur indiuiduum non in sup-  
 positione simplici, sed in suppositione personali,  
 idest accipiendo omnia & singula indiuidua, itavt  
 de vnoquoque intelligatur, quod prædicetur tan-  
 tum de vno. Itaque ad argumentum respondeo,  
 distinguendo primam maiorem: definitur indiui-  
 duum in communi, sumptum in suppositione sim-  
 plici, nego; sumptum in suppositione personali,  
 concedo. Sed indiuiduum in communi prædicari  
 potest de pluribus, sumptum in suppositione sim-  
 plici, concedo; sumptum in suppositione perso-  
 nali, nego. Posset idem argumentum fieri de spe-  
 cie; nam species in communi prædicatur de specie  
 hac & illa: ergo prædicatur de pluribus speciebus,  
 vt genus. Est autem eadem responsio. Deinde con-  
 uenit definitio hæc indiuiduo etiam vago, quia  
 illud copulatiuè non prædicatur de pluribus, sed  
 disunctiue.

Secunda  
 obiectio.

Obiicitur secundò, indiuiduum prædicari posse  
 identicè tantum, & indirectè; quod probo. Vt ali-  
 qua prædicatio sit directa & formalis, prædicatum  
 debet esse forma subiecti: sed indiuiduum non est  
 forma sui subiecti; nihil enim est forma sui ipsius:  
 ergo indiuiduum de nullo prædicatur directè. Con-  
 firmatur, nã hic homo, & Petrus, sunt idem forma-  
 liter: ergo dicere, *Hic homo est Petrus,* idem est ac di-  
 cere, *Petrus est Petrus;* quæ identica est propositio.

Resp. posse indiuiduum prædicari formaliter &  
 directè, quia licet Petrus, & hoc indiuiduum, seu  
 hic homo, sint idem realiter, diuerso tamen mo-  
 do explicantur per vnã vocem, quàm per aliam,  
 quod sufficit ad prædicationem formalem, & non  
 identicam. Ad argumentum igitur negatur minor;  
 nam quamuis nihil esse possit forma sui ipsius eo-  
 dem modo explicatum, potest tamen explicatum  
 diuerso modo. Similiter ad confirmationem distin-  
 guitur antecedens: hic homo & Petrus idem sig-  
 nificant, eodem modo explicatum, nego; diuerso  
 modo explicatum, concedo.

Tertia obie-

Obiicitur tertio. Si definitur indiuiduum, potest

A abstrahi ab indiuiduis ratio aliqua communis om-  
 nibus indiuiduis; hoc autem probo absurdum es-  
 se. Primò, quia indiuiduatio est vltima differentia,  
 sed ab vltimis differentiis non potest abstrahi ra-  
 tio aliqua communis; si enim ab vltima differen-  
 tia communis aliqua ratio abstrahitur, datur ali-  
 quid vltius quàm vltima differentia, nempe il-  
 lud à quo facta erit abstractio: ergo non potest  
 abstrahi ratio aliqua communis ab omnibus indi-  
 uiduis. Secundò. Si indiuiduum est aliquid com-  
 mune huic & illi indiuiduationi, debet indiuidua-  
 tio adhuc contrahi per aliam indiuiduationem, &  
 rursum cum hæc indiuiduatio participet rationem  
 communem indiuiduationis, debet contrahi per  
 aliam, & sic in infinitum; omnis enim ratio fieri  
 debet singularis per hæccitatem. Pater autem hoc  
 absurdum esse. Imò vltimæ differentia, à quibus  
 abstracta est ratio communis indiuiduationis, ad-  
 huc conueniunt in eo, quod sint vltimæ differen-  
 tia: ergo potest ab illis abstrahi ratio communis,  
 & sic in infinitum. Tertiò. Ratio formalis discon-  
 ueniendi non potest esse ratio formalis conue-  
 niendi: sed indiuiduatio est ratio formalis discon-  
 ueniendi: ergo non potest esse ratio formalis conue-  
 niendi. Quartò. Si ratio indiuidui abstrahitur à  
 Petro & Paulo, sequitur hanc propositionem:  
*Petrus est homo,* esse mediatam; quod tamen ab-  
 surdum est. Probo sequelam. Tunc aliqua propo-  
 sitio est mediata, quando inter prædicatum, &  
 subiectum medius est gradus aliquis perfectionis:  
 sed inter *Petrum*, & *hominem* medius est commu-  
 nis gradus indiuidui: ergo illa propositio: *Petrus*  
*est homo,* est mediata.

Resp. posse dari rationem vnã indiuidui com-  
 munem omnibus indiuiduis, & ab illis abstractam.  
 Ratio est, quia omnia indiuidua conueniunt om-  
 nino in eo quod sint indiuidua, sicut omnes ho-  
 mines in eo conueniunt, quod sint homines; om-  
 nia enim indiuidua in eo conueniunt, quod sint  
 entia indiuisa in se, v.g. tam hic equus est indiui-  
 sus in se, quàm hic homo. Hæc autem est propria  
 ratio indiuidui: ergo propria ratio indiuidui est  
 communis.

Ad primam probationem distinguitur prima  
 maior: ab vltimis differentiis completè cognitis,  
 vt sunt vltimæ differentia, non potest abstrahi  
 aliqua ratio communis, concedo; ab vltimis dif-  
 ferentiis cognitis incompletè, nego. Vnde ad pro-  
 bationem distinguitur etiam sequela maioris: si ab  
 vltima differentia ratio communis abstrahatur, da-  
 bitur aliquid vltius vltimæ differentiæ completè  
 cognitæ, nego; cognitæ incompletè, con-  
 cedo. Eadem enim differentia completè cognita  
 est vltior, quàm differentia cognita incompletè.  
 Præterea distingui etiam aliter potest illa maior;  
 ab vltimis differentiis non potest perfectè abstrahi  
 ratio communis, à differentiis vltimis, ita vt ratio  
 communis concipiat sine differentiis, & differ-  
 entia sine ratione communi, concedo; sic enim  
 differentia esset vltima, & non vltima: ab vltimis  
 differentiis non potest imperfectè abstrahi ratio  
 communis, ita vt ratio quidem communis concip-  
 iatur sine differentiis; differentia verò non concip-  
 iatur sine ratione communi, nego; tunc enim  
 non datur aliquid vltius vltimæ differentiæ,  
 quia illud à quo fit abstractio, semper includit il-  
 lud quod est abstractum. Ratio autem indiui-  
 dui ita est communis, vt abstrahatur solum im-  
 perfectè ab hac & hac indiuiduatione, alioqui  
 non esset vltima differentia, & daretur infinitus  
 progressus, vt patebit modò.

Ad

ctio de ra-  
 tione com-  
 muni indi-  
 uidui.

Datur ratio  
 indiuidui,  
 communis  
 & abstra-  
 ctæ.

Soluitur  
 prima pro-  
 batio.



Solutio  
secundæ  
probatio-  
nis.

Ad secundam enim probationem resp. si ratio indiuidui est communis, debet contrahi per hæceitatem à se distinctam, nego; per hæceitatem expressius consideratam, concedo: id est ratio communis indiuidui contrahitur per se ipsam consideratam expressius, non autem per aliquid in cuius conceptu non includatur; sic enim non datur infinitus progressus. Verum igitur est, quod omnis ratio communis non debet fieri hæc per hæceitatem à se distinctam, sed satis est quod fiat hæc per hæceitatem expressius consideratam, in qua scilicet includatur. Deinde sæpe dictum est, quod sistendum est semper in primo à quo cæpit progressus, quoties proceditur ad aliquid eiusdem rationis; idcirco que abstracta semel communis ratione conueniendi à differentiis, iam non potest iterum abstrahi ratio alia conueniendi; quia ratio conueniendi, quæ manet, est illa eadem, quæ abstracta fuerat; licet enim conuenientia præscindi possit à singularitatibus, non tamen possunt singularitates præscindi à ratione conueniendi; unde si semel abstrahatur ab ultimis hæceitatibus ratio communis, non potest iterum abstrahi alia ratio conueniendi, quæ diuersa sit à prima; sed eadem potest semel, & iterum abstrahi.

Solutio ter-  
tiæ.

Ad tertiam probationem distinguitur minor: indiuiduatio in communi significata, & incompletè significata, est ratio formalis disconueniendi, nego; indiuiduatio explicata completè, concedo; nam illa, ut sic, est ratio disconueniendi.

Solutio  
quartæ.

Ad quartam probationem negatur illa maior, scilicet quod hæc propositio est mediata: *Petrus est homo*, si ratio indiuidui præscinditur à Petro & Paulo. Ad probationem distinguitur maior: tunc prædicatio est mediata, quando inter prædicatum & subiectum medius est aliquis gradus perfectè præcisus, concedo; imperfectè præcisus, nego. Ratio autem communis indiuidui non mediat inter Petrum & hominem, quia illa non perfectè præscinditur à Petro, sed in eo includitur.

Indiuiduum  
vagum.

Dico secundò, indiuiduum rectè diuidi in vagum & determinatum: vagum, ut dixi nuper, est verè vnum indiuiduum, sed indeterminatum quoad significationem, quia quoad modum significandi non magis denotatur vnum, quàm aliud, explicaturque vel per terminum aliquis, vel per particulam disunctiuam inter terminos determinatos, ut Petrus, vel Ioannes. Ut autem magis innotescat ratio indiuidui vagi, quatuor sunt de illo scitu digna.

Existit à  
parte rei  
extrinsecè.

Primum est, quod à parte rei nullum existit indiuiduum vagum, quia quicquid existit, est determinatum; idcirco indiuiduum vagum esse non potest, quod à parte rei existat indeterminatè; sed est vagum ratione connotati alicuius extrinseci, propter quod dici aliquo modo potest à parte rei existens connotatiuè, ac extrinsecè: v. g. cum dico: *Ad equitandum aliquis equus est necessarius*, equus non est in se intrinsecè indeterminatus, sed extrinsecè tantum; quatenus connotat equitationem, ad quam magis non est necessarius equus vnus, quàm alter. Ex quo reiciuntur quidam Recentiores, qui volunt, indiuiduum dici vagum per ordinem duntaxat ad intellectum qui vagè in illud feratur; hoc enim videtur falsum, nam etiamsi nullus intellectus cogit, verum est quod ad equitandum aliquis equus est necessarius; quod ad videndum necessarius est aliquis oculus. Verius ergo dicitur, quod per solam connotationem extrinsecam indiuiduum constituitur vagum, cum intrinsecè nullum à parte rei esse possit indiuiduum, quod non sit determinatum. Neque dicas, nullum à parte rei existere indiuiduum,

A quod sit vagum: ergo dicere quod à parte rei existit Petrus vel Paulus, falsa est propositio, quæ non conformatur ei quod existit. Resp. distinguendo antecedens: à parte rei non existit indiuiduum quod sit vagum intrinsecè, concedo; quod sit vagum connotatiuè ac extrinsecè, nego, per ordinem v. g. ad intellectum, qui vagè versatur circa duo indiuidua à parte rei determinata.

Secundum est, quod respectu diuini etiam intellectus non repugnat disunctio, quia illa non versatur semper confusè circa obiectum; cognoscit autem sine dubio Deus v. g. quod ad vitandum peccatum in die festo, necessaria est auditio alicuius Sacri. Et sanè si Deus potuit præcipere sub disunctione sibi offerri par turturum, aut duos pullos columbarum, certè cognoscit, quod ad vitandum peccatum necessaria erat alterius eorum oblatio.

B Tertium est, quod quoties ad aliquid requiritur indiuiduum vagum, id ad quod à parte rei requiritur, exerceri non potest sine indiuiduo determinato: v. g. necessarius est ad equitandum aliquis equus, sed quoties equitabo, necessarius erit equus determinatus.

In ordine  
ad diuinum  
intellectum.

Quomodo  
requiratur  
ad aliquid  
indiuiduum  
vagum.

Quartum est, quod quoties vagum aliquod indiuiduum dicitur requiri ad aliquam rem, communiter res illa vagè significatur, v. g. necessarius est aliquis equus ad aliquam equitationem; sed ad hanc tamen determinatam equitationem necessarius est equus determinatus.

## SECTIO IV.

### De Differentia.

D Vo facit Porphyrius in cap. de differentia: primò enim affert quinque illius diuisiones, deinde quinque illius definitiones. Ego de differentia propriè sumpta tria quæro. Primò, quomodo definiatur & diuidatur: secundò, quomodo diuidas genus: tertio, quomodo constituat speciem.

### §. I.

#### Munera propria differentia, definitio eius, & diuisio.

Ertum est primò, quatuor esse munera propria differentia: *Diuidere genus: constituere speciem: distinguere illam ab omnibus aliis: prædicari de inferioribus*. Diuidere genus non est separare partem aliquam generis ab altera; nam tota definitio animalis reperitur tum in homine, tum in brutis; sed est determinare illud, quod est indeterminatum, & contrahere illud ad certam speciem: v. g. rationale determinat animal. Cum enim illud latissimè pateat ad plures species, per rationale restringitur ad hominem eo modo, quo forma materiam de se indifferentem ad species omnes corporum determinat ad talem rationem corporis. Constituire speciem, est esse proprium illius conceptum, per quem species talis esse denominatur: per rationale v. g. constituitur species hominis; per illud enim verè denominatur homo, & hic est conceptus eius proprius & essentialis; alia enim omnia, vel communia sunt pluribus speciebus, ut esse corpus, esse viuens, esse animal; vel sine illis concipi potest homo, ut risibile, album; statim autem ac concipis rationale additum animali, hominem concipis. Verum ita quidem differentia constituit speciem, & est illi essentialis, ut nullo tamen modo essentialis sit generi, sed omnino accidentalis, & tota extra illius conceptum, ut

Quatuor  
munera dif-  
ferentia.

C 4 statim



statim dicitur. Hinc necessariò concluditur, quod differentia distinguat speciem, quia quod est alius rei distinctum, est etiam constitutum. Denique cum differentia constituat, & distinguat speciem, debet in omnibus eius inferioribus reperiri, atque aded etiam predicari de pluribus.

Definitio  
differentiæ.

Certum est secundò, differentiam, prout est diuisiva generis, definiri, *Est ea, quæ genus diuiditur in suas species*; prout est constitutiva speciei, *Est ea, per quam abundat species à genere*, id est ea, quam habet species essentialiter præter genus; prout est distinctiua, *Est ea per quam differunt à se singula*. Denique differentia prout vniuersalis, & prædicabilis, definitur id quod potest inesse pluribus specie, aut numero differentibus, tanquam pars determinatiua; siue id quod prædicari potest de pluribus specie aut numero differentibus in quale quid; quæ omnia clara sunt ex prædictis. Dicitur enim generica differentia, si prædicetur de pluribus differentibus specie; differentia specifica, si prædicetur de pluribus differentibus solo numero. Porphyrius tamen eam dicit solum prædicari de pluribus differentibus specie, id est, de pluribus quæ sunt eiusdem inter se speciei, sed ab aliis diuersæ speciei per differentiam specie different. Dicitur deinde prædicari in quale quid, id est, adiectiue simul, & essentialiter, quia illud prædicatum essentialia, quod secundo loco ponitur inter prædicata essentialia, & concipitur afficere primum prædicatum, ei adiacere dicitur, vocaturque qualitas rei; hoc autem facit differentia, quæ dicitur in quale prædicari, quia determinat genus; & in quid, quia est essentialis. Quæ obici possunt contra definibilitatem differentiarum, soluta sunt nuper ex dictis de indiuiduo.

Differentia  
duplex di-  
uisio.

Certum est tertio, differentiam aliam vocari essentialia, alia accidentalem. Essentialis ea est, quæ constituit rem in suo esse specifico, & facit eam differre ab aliis essentialiter. Accidentalis ea, quæ rem supponit iam constitutam in suo esse, facitque illam differre solum accidentaliter ab aliis. Rationale v. g. est essentialis differentia hominis; albedo est differentia solum accidentalis. Deinde differentia diuiditur in subalternam, & infimam. Subalterna illa est, quæ constituit speciem subalternam; quæ nimirum genus est, & species: vel etiam illa est, quæ ita determinat differentiam anteriorem, vt determinet etiam differentiam sequentem; vt sensitiuum determinat viuens, & determinatur per rationale. Differentia infima, siue vltima, illa est, quæ constituit speciem infimam, quæ videlicet nunquam est genus; vel etiam quæ non est perfectibilis, nisi per differentiam indiuidualem; vt rationale vltima est hominis differentia.

## S. II.

### Quomodo differentia diuidat genus.

Sensus qua-  
stionis.

Differentia, vt sæpè dixi, non sic aduenit generi, neque sic illud afficit, vt ab eo separari possit realiter: sed grauitè controuertitur, vitum separari sic possit ab eo per cogitationem, vt cognosci possit genus, quin cognoscatur vilo modo formaliter differentia; & ipsa etiam differentia inferior cognosci tota possit secundum rationem propriam differentia, quin formaliter cognoscatur genus, vel differentia vlla superior; v. g. animal non cognito rationali, & rationale non cognito formaliter animali. Dixi, *formaliter*, quia certum est, quod cognito formaliter vno identificato al-

teri, necessariò illud aliud cognoscitur identicè, saltem, & materialiter; quæ difficultas pendet ex iis, quæ disputata inuenies initio *disput. 2. Metaphys.* vbi probo præcisiones obiectiuas, & distinctionem rationis contra veteres & novos Nominales. Breuiter autem hinc.

Dico primò. Genus quodlibet propriè dictum sic cogitari potest sine differentiis, vt eas in suo conceptu nullo modo includat formaliter. Genus differentias non includit formaliter.

Ratio est, quia si cogitari non posset genus, quin cognosceretur formaliter differentia, per quas diuiditur, sequeretur quod equus esset rationalis, quia est animal, quod secundum suam rationem propriam dicitur rationale ac irrationale. Imò sequeretur, quod aliquid in suo conceptu res inter se contrarias includeret; animal v. g. includeret rationale, & irrationale; quod patet esse impossibile.

Dico secundò. Nulla differentia propriè dicta includit in conceptu suo formali genus, aut differentiam vllam superiorem, sed cognosci formaliter potest, quin cognoscatur vilo modo formaliter genus, aut differentia vlla superior. Ita docent cum S. Thoma 1. part. *quæst. 3. art. 8. ad 3.* Fonseca, Suarez, & alij, contra plures Recentiores, qui volunt, omnes differentias formaliter includere in conceptu suo genus. Et sanè

Nec differentia includit genus.

Ratio quæ demonstret perfectam hanc præcisionem differentia à genere, difficilis est, & statim soluitur ex eo quod solet dici de differentiis entis, quæ in suo conceptu formali formaliter implicite includunt ens. Primò enim probatur, quia si rationale v. g. includeret animal, quando definitur homo, *Animal rationale*; bis poneretur animal in definitione hominis: primò per seipsum explicite, secundò implicite, prout includitur in ipso animal: sed eodem modo posset obici, quod ens bis ponitur in definitione substantia, quæ dicitur ens per se subsistens. Secundò, differentia non differret à specie, quia totum includeret formaliter, quod includit species. Sed similiter differentia substantia non differret à subsistentia, sed aquè includeret ens, & subsistentiam ac substantiam. Dici ergo posset, quod species includit explicite genus & differentiam, differentia verò non includit genus, nisi solum implicite ac confuse.

Difficile itaque probatur, quod differentia inferior formaliter implicite non includit genus & differentias superiores. Hæc vna ratio videtur probabilior. Non debet asseri quod cognito rationali cognoscatur formaliter implicite animal, & differentia omnes superiores, si explicato conceptu formali rationalis, nulla fit mentio animalis, aut corporis, aut etiam viuents; nam includere formaliter confuse aliud, est non posse explicari conceptum aliquem, quin fiat mentio alterius, vt subsistentia formaliter implicite includit ens, quia non possum explicare id quod significat subsistentia, quin ponam ens. Sed explicari omnino potest formalis conceptus rationalis, quin mentio fiat animalis; dico enim esse discursuum, seu quod ab aliquo noto progreditur ad cognoscendum aliquid ignotum, vbi nulla fit mentio ipsius animalis, vt patet. Ergo differentia non includit in suo conceptu formali confuse formaliter ipsum genus. Et confirmari potest ex eo, quod habet Philosophus *secundo posterior, cap. 4.* posse definiri aliquid per supremum genus, adiectis inferioribus differentiis: v. g. homo est substantia corporea, viuens, sensitiua, rationalis. Si autem rationale includat formaliter animal, viuens, & corpus, satis erit dicere, *Homo est substantia rationalis*.

Verior probatio.



*rationalis*; quod tamen non probat Philosophus: ergo ex Philosopho differentia non includunt genus formaliter.

*Difficultas in oppositum.* Obiicitur tamen, & difficillimè. Multa sunt genera, quæ includuntur necessariò in conceptu formali differentiarum, eo modo, quo ens imbitur in conceptu differentiarum substantiæ & accidentis. Quod probatur.

*Prima probatio.* Primò, quia sensitiuum in communi non contrahitur nisi per tale sensitiuum, idest per aliquod sensitiuum formaliter: sensitiuum in communi est genus, & differentia superior: ergo genus & differentia superior includuntur formaliter in differentiis inferioribus. Probatur maior, quia rugitus v.g. qui est differentia leonis, formaliter est aliqua sensatio, & actus vitalis; quæ enim quid aliud esse possit, vel explicari: ergo rugibile includit formaliter sensitiuum.

*Secunda.* Secundò, intellectiuium, quod est genus ad Angelum, & hominem, vel etiam ad Angelos specie differentes, contrahitur per differentias, quæ sunt intellectiuium formaliter; nam ad hominem contrahitur per rationale, quod est formaliter intellectiuium; & ad Angelum, per intellectiuium sine discursu: imò ad Gabrielem, & Michaëlem, quos suppono specie differre, contrahi non potest nisi per tale intellectiuium formaliter; nihil enim aliud est excogitabile.

*Tertia.* Tertiò, Viuens contrahitur ad intellectiuium, sensitiuium, & vegetatiuium, per aliquod in cuius conceptu formaliter includitur vita; nam intelligere formaliter est viuere, cum sit formaliter agere immanenter. Et similiter fontire, ac vegetare sunt formaliter actiones vitales, & immanentes: ergo, &c.

*Quarta.* Quartò, In quantitate permanente res videtur perspicua; nam quantitas est genus ad lineam, superficiem, & corpus; & tamen includitur in eorum differentiis, vt patet; longitudo enim, latitudo, & profunditas sunt formaliter extensiones, & magnitudines, neque sunt aliter conceptibiles.

*Quinta.* Quintò ratio à priori videtur esse, quia genus non potest contrahi per differentias extraneas & disparatas, sed contrahitur per differentias proprias & proportionatas, vt habet Philosophus 7. *Metaph. cap. 12.* vbi etiam docet, quod bipes diuiditur in illud quod habet pedes fillos, & quod non habet pedes fillos; vbi patet quod totum diuisum includitur in membris diuidentibus. Imò addit Philosophus, quod si diuidatur animal in habens pedes, & non habens pedes, illud quod habet pedes non debet postea diuidi per plumiferum, & implume; sed per habens fillos, & non fillos; *fissio autem pedum, peditas quadam est*, inquit Philosophus eo loco: ergo patet ex Philosopho, quod genus contrahitur per differentias proprias, & proportionatas: sed differentia formaliter proportionata ac propria sunt illæ, in quibus includitur ipsum genus: ergo genus includitur in differentiis.

*Solutio primæ probationis de sensitiui.* Resp. concedendo, quod genus includitur in differentiis realiter & adæquatè consideratis; negando autem, quod in illis includatur consideratis formaliter, & præcisè. Vnde

Ad primam probationem resp. sensitiuum in communi contrahitur per aliquod, quod realiter & adæquatè consideratum est tale sensitiuum; formaliter autem & præcisè sumptum non est tale sensitiuum. Rugitus, v.g. qui est differentia leonis, adæquatè ac realiter sumptus, est sensatio, & actus vitalis; formaliter & præcisè sumptus neutrum est, sed motus duntaxat aliquis ore, gutturæque formatus

A cum tali conformatione organorum, qui concipi rectè potest sine sensatione, quamvis per eam communiter explicetur. Itaque fateor, quod operatio leonis realiter sumpta, & adæquatè, sensatio est formaliter; inadæquatè verò sumpta non est sensatio.

Instabis primò. Ab eo principio formaliter, à quo habet actio leonina, quod sit leonina, habet quod sit sensatio; habet enim quod sit actio animalis: sed à rugibili formaliter habet rugitus quod sit actio leonina: ergo à rugibili formaliter habet rugitus, quod sit sensatio.

Resp. distinguendo maiorem: ab eo principio formaliter, à quo habet actio leonina, quod sit leonina, genericè formaliter habet quod sit sensatio, concedo; genus enim leonis est animal, & viuens; ab eo principio, à quo habet, quod specificè leonina sit, habet quod sit sensatio, nego.

Instabis secundò. Si per impossibile formalitas rugibilitatis esset à parte rei distincta, semper esset virtus effectiua sensationis: ergo esset sensitiua formaliter: ergo nunc est sensitiua formaliter.

Resp. negando antecedens, quia si eodem modo existeret realiter illa formalitas, quæ nunc existit per intellectum, excluderet realiter sensationem, sicut per intellectum nunc illam excludit.

Ad secundam probationem eadem responsio est; nam intellectiuium, quod est commune homini & Angelo, non est genus vniuocum, sed analogum tantum, cum includatur in differentiis. Intellectiuium autem, quod est commune Angelis specie differentibus, est verum genus, & contrahitur per aliquod materialiter & identicè intellectiuium; non autem intellectiuium formaliter & præcisè sumptum.

Similiter ad tertiam de viuente distinguitur maior: viuens contrahitur ad intellectiuium, sensitiuium & vegetatiuium per differentias, quæ materialiter & realiter includunt viuens, concedo; quæ formaliter & præcisè sumptæ includunt viuens, nego. Intelligere adæquatè sumptum, est agere immanenter; non autem sumptum inadæquatè: nam, vt sic, est producere verbum mentis præcindendo ab immanencia, & à ratione vitæ.

Ad quartam de quantitate, resp. duplicem distinguui posse extensionem in quantitate; alteram propriam quantitati, quæ includit impenetrabilitatem; alteram quæ potest esse communis quantitati & materiæ, præcinditque ab impenetrabilitate, & esse potest communis quantitati & materiæ, ac qualitibus. Prima est propria ratio quantitatis categoricæ, vt dicam in Physica: secunda genus est analogicum ad quantitatem, materiam, qualitates. Itaque ad argumentum, concedo longitudinem, latitudinem, profunditatem concipi non posse sine magnitudine ista & extensione, quæ genus est analogicum, vt dixi, & abstrahit ab impenetrabilitate; sed volo tantum illas concipi posse inadæquatè sine magnitudine impenetrabili, & propria quantitatis; longitudo enim non est essentialiter extensio impenetrabilis, sed essentialiter est extensio abstrahens ab impenetrabilitate.

Ad quintam concedo, genus contrahi necessariò per differentias proportionatas, & proprias; sed nego illas non esse proportionatas, si non includant genus sumptæ formaliter; sufficit enim quod materialiter, & identicè sumptæ illud includant; v. g. fissio pedum materialiter & identicè quadam est peditas, non autem sumpta formaliter; nam fissio concipi non potest adæquatè sine pedibus, sed inadæquatè ac formaliter sine illis cogitari potest.

Ad primam probationem resp. sensitiuum in communi contrahitur per aliquod, quod realiter & adæquatè consideratum est tale sensitiuum; formaliter autem & præcisè sumptum non est tale sensitiuum. Rugitus, v.g. qui est differentia leonis, adæquatè ac realiter sumptus, est sensatio, & actus vitalis; formaliter & præcisè sumptus neutrum est, sed motus duntaxat aliquis ore, gutturæque formatus

Duplex instantia.

Solutio secundæ probationis de intellectiui.

Solutio tertiæ de viuente.

Solutio quartæ de quantitate.

Solutio quintæ.



## §. III.

*Quomodo differentia constituat speciem.*

**E**O ipso, quod differentia diuidit genus, constituit etiam necessariò ipsam speciem, cum constituere speciem non sit aliud, quàm esse partem determinatiui generis; unde mihi de hoc posteriori munere differentia tria breuiter explicanda restant.

Nulla est species sine propria differentia.

Dico primò, nullam omninò esse posse speciem sub aliquo genere, in qua distinguì non possint genus & differentia, ex quibus tanquam ex partibus metaphysicis componitur, idest non realiter, sed ratione solùm distinctis. Ita contra Durandum vnanimiter sentiunt Doctores.

Ratio euident est, quia species omnis, quæ generi subest, conuenit in aliquo cum aliis speciebus, alioqui genus non habet; & in aliquo differt. Illud in quo conuenit, est genus; illud in quo differt, est differentia: ergo in qualibet specie designari possunt genus & differentia, quæ saltem ratione distinguì possunt, vt patet ex dictis in puncto precedenti.

Dices. Genus & differentia desinunt talia esse, quando componunt speciem, quia desinunt esse vniuersalia: ergo non est verum, quod genus & differentia componant speciem.

Resp. distinguendo consequentiam: ergo genus & differentia formaliter sumpta non componunt speciem, concedo; sumpta materialiter, idest secundum naturam à parte rei existentem, nego.

Non potest communis esse pluribus speciebus.

Dico secundò. Qualibet differentia ita est propria & adæquata speciei, quam constituit, vt non possit ulli alteri conuenire speciei, vel generi. Ita cum S. Thome, & Scoto communis habet sententia Doctorum, quibus aduersatur immeritò Auerſa q. 13. sect. 3. ubi docet, multas esse differentias ampliores speciebus, quas constituunt; ita vt sola combinatio differentia talis, cum tali genere, propria sit talis speciei: v. g. *viuens*, ita differentia est corporis, vt communis sit etiam Angelo.

Ratio tamen est, quia illud non potest esse commune pluribus, per quod vna species essentialiter differt ab altera specie: per differentiam vltimam species vna essentialiter differt ab altera, cum idem sit necessariò principium distinctionum, quod & constitutum: ergo implicat, vt vltima differentia communis sit pluribus speciebus. Neque satis est dicere, species illas differre per combinationem speciei talis, cum tali genere; si enim hoc verum sit, sola ergo combinatio differentia est constituens, non autem illa, quæ dicta priùs est differentia; imò illa non erit differentia determinatiua generis, cum æquè latè pateat ac genus.

Triplex obiectio.

Dices. Quando corpus diuiditur in viuentem, & non viuentem, differentia viuientis amplior est quàm corpus, & reperitur extra genus corporis, nempe in Angelis. Similiter habitus intellectualis constituitur per rationem intellectuales; & tamen intellectualitas conuenit etiam actibus intellectus. Denique rationale, quod significat intellectum, differentia est hominis, communis etiam Angelo: ergo patet, quod potest eadem differentia conuenire speciebus distinctis.

Resp. *viuens*, quod est differentia corporis, significare id quod animam habet vegetatiuam; quod, vt patet, soli conuenit corpori: quando autem *viuens* significat illud, quod agere potest immanentem, & conuenit substantiis, etiam in-

**A** corporeis, differentia est immediatè diuisua substantia; non est differentia diuisua corporis. Intellectualitas, quæ propria est habitum intellectualium, est intellectualitas in actu primo, & non vitalis: unde illa non conuenit actui vitali, quem constituit intellectualitas vitalis, & in actu secundo. Denique sapè dictum est, quod *rationale* proprium hominis, & illius constitutum, non significat simpliciter intellectum, & discursuum, quod Angelo etiam conuenit; sed significat discursum per conuersionem ad phantasmata, siue per species ministerio sensuum acquiras; quod nulli conuenit nisi homini.

**B** Dico tertio. Differentia infima cuiuslibet speciei necessariò vnica est, idest, nulla species infima potest esse sub duplici genere infimo, nec habere duas differentias non subordinatas. Repugnant huic communi doctrinæ Auerſa, & Ariaga, sed immeritò.

Differentia infima necessariò vnica est.

Ratio est, quia si species eadem plures habere posset differentias intrinsecas, & duo genera infima, esset compositum vnum, & non vnum: vnum, quia supponitur; non vnum, quia si vnicum habeat genus, & vnicam differentiam, erit vnum compositum: ergo si duo habeat genera, & duas differentias, erunt duo composita, & duæ species: sicut vbiunque duæ sunt materiae, duæque formæ non subordinatæ, duo sunt corpora. Neque dicas, hoc esse verum si fuerint differentia totales, non esse verum si fuerint solum partiales; istas autem non esse totales. Sed contrà: nam illa est differentia totalis, quæ totum suum effectum formalem confert independentem ab altera: ista vtraque differentia cum non sit subordinata, suum effectum formalem independentem ab altera confert: ergo vtraque totalis est.

Dices. Quoties aliquis audit Sacrum propter obedientiam, & propter Dei amorem, actus ille duas habet differentias, & duo genera, cum contineatur sub virtutibus charitatis & obedientia. Deinde actus ille, qui speculatiuus est & practicus, est etiam sub duplici genere. Denique differentia predicabilis est *in quid*, & *in quale*; quæ sunt genera duo predicabilitatis.

**D** Resp. ad primum exemplum, actum illum, quo quis propter motiua plurium virtutum vult audire Sacrum, esse reuerà in duplici specie; unde fit, vt species vna non habeat plura genera, nec differentias plures. Neque dicas tam esse impossibile, vt vnus actus sit in duplici specie (sic enim duplicem haberet essentiam) quàm est impossibile vt vna species duo habeat genera, & duas differentias. Concedo enim esse impossibile vt vnus sit intrinsecè sub duplici specie; sed esse potest extrinsecè sub duplici specie. In hoc igitur exemplo duo distinguendi sunt actus. Primus est auditio Sacri propter charitatem & obedientiam; alter velle audire Sacrum propter duplex illud motiuium. Auditio Sacri vnus est actus, qui extrinsecè actus est charitatis & obedientia, propter actum internum voluntatis, à quo imperatur auditio Sacri. Velle autem audire Sacrum propter duo motiua, sunt necessariò duo actus; alter charitatis, alter obedientia: unde corrui argumentum.

**E** Ad secundum exemplum, nego eundem actum esse posse simul speculatiuum, & practicum intrinsecè. Ad tertium respondeo differentiam simpliciter pertinere ad genus predicabilem substantiue; nunquam enim substantiue predicatur, sed quia predicatur essentialiter, idè dicitur predicari *in quid*.

SECTIO V.



SECTIO V.

De Proprio, & Accidente.

**H**æc sunt vltima duo prædicabilia, quorum solas definitiones interest scire.

**D**ico primò, proprium quarto modo, rectè definiti, *Quod de pluribus prædicatur in quale necessario*, seu quod emanat ab essentia subiecti, de qua prædicatur ad conuertentiam.

**P**rimò dixi, *proprium quarto modo*; quia docet hic Porphyrius, posse quatuor modis sumi proprium. Primò, pro eo quod speciei alicui soli conuenit, sed non omnibus eius indiuiduis; idest soli, non tamen omni, nec semper; vt esse Grammaticum, esse Medicum. Secundò, pro eo quod omni conuenit, sed non soli, vt esse bipedem. Tertiò, quod omni, & soli conuenit, sed non semper, vt *caneſcere in senectute*, inquit Porphyrius. Quartò, quod omni, & soli, & semper conuenit, vt esse discursiuum, esse admiratiuum. Hoc autem est proprium, quod hic definitur.

**S**ecundò dixi, *quod prædicatur de pluribus*; vbi nomine *plurium* intelligenda non sunt inferiora, v.g. inferiora risibilis sunt hoc, & hoc risibile; sed intelligi debent subiecta à quibus abstrahi potest, v.g. *Petrus est risibilis, Paulus est risibilis*. Certum verò est, quod proprium prout abstrahitur ab inferioribus, species est; non autem quartum prædicabile; quia risibile est species respectu huius ac illius risibilis, æquè ac homo est species respectu illius, & illius hominis. Sed in ordine ad subiecta specialem habet modum prædicandi, qui non conuenit nisi quarto prædicabili.

**T**ertiò dixi, proprium prædicari *necessariò*; quia scilicet fluit ab essentia, idest, posita essentia, necessariò ponitur proprium, aded vt essentia causa eius sit efficiens, & subiectiua, in quo differt ab accidente communi, quod non fluit ab essentia; eam enim respicit vt subiectum, non vt causam; reique conuenit ratione solius existentia. Proprium verò conuenit solum ratione essentia, ac proinde

**Q**uartò addebam, illud dici, *ad conuertentiam de essentia*; ita scilicet, vt de quocunque verum est dicere, quod habeat talem essentiam, verum etiam est, quod habeat talem proprietatem; & contrà de quocunque verum est dicere, quod habeat talem proprietatem, verum etiam est dicere, quod habeat talem essentiam: quodeunque v.g. risibile est homo, & contrà. Ratio conuertentia huius est, quia proprium emanat à rei essentia, nec habere potest aliam causam. Illa itaque duo sunt quæ proprium constituunt quarto modo, *præfluere ab essentia, & dici ad conuertentiam*.

**Q**uintò tamen hoc non impedit, quin proprium aliud sit separabile à subiecto; frigus v.g. vt octo, est separabile ab aqua, cuius est proprietas; & hoc vocatur proprium physicum: aliud est omninò inseparabile, vocaturque proprium metaphysicum, quod realiter non distinguitur ab essentia, sed conceptu tantum, vt *risibile*. Non obstat, inquam, quia proprium illud physicum, licet secundum entitatem separatur ab essentia, non separatur tamen secundum debitum, idest etiamsi tali entitate proprii priuari essentia possit; seruat tamen semper illius debitum, aqua v.g. licet esse possit sine summo frigore, semper tamen illud exigit, & illud in se producit, modò non impediatur.

**D**ico secundò. *Accidens verbale, siue logicum*,

**A** rectè definiti, *Quod potest adesse, & abesse à subiecto sine illius corruptione*; quod intelligi non debet realiter & physicè, sed intentionaliter & logicè. Vel etiam definitur, *Id quod de pluribus prædicatur in quale contingenter*. Quæ posterior definitio ex iis, quæ dixi de proprio, clara est, & nullà eget explanatione.

**P**rior autem definitio Porphyrij obscurior est, eo quod accidentia quædam separabilia non sint à subiecto, quin corrumpatur subiectum, vt patebit statim. Explicantur itaque omnia, quæ in conclusionem posita sunt.

**P**rimò dixi, *Accidens verbale, ac logicum* hic definiti, & esse tertium prædicabile; accidens enim dupliciter sumitur. Primò pro eo quod opponitur substantia, seu pro eo quod inhæret subiecto; vt albedo accidens est hominis, diciturque accidens nominale, siue physicum. Secundò sumitur pro eo, quod contingenter afficit, & denominat subiectum, & de illo contingenter prædicatur, siue sit substantia, siue sit accidens; vt vestis accidens est hominis, de quo prædicatur contingenter. Illud vocatur accidens verbale, siue logicum, quod solum est tertium prædicabile.

**S**ecundò dixi, accidens illud posse *adesse vel abesse à subiecto sine illius subiecti corruptione*; quod negabam posse intelligi de separatione physica & reali, quia multa sunt accidentia metaphysica, quæ separari non possunt à subiecto, cum ab eo non distinguantur. Morbus lethalis, mors, combustio, adesse non possunt subiecto sine corruptione subiecti; & tamen accidentia sunt. Existencia etiam accidentalis est creaturæ, cuius separatio realis, corruptio est subiecti.

**T**ertiò igitur intelligenda est separabilitas accidentis sine corruptione subiecti logicè, ac per conceptum; ita scilicet, vt cogitari possit ab intellectu subiectum cum tali accidente, vel sine illo, aut etiam negari, quin dicatur aliquid repugnans essentia subiecti; sic enim negari & affirmari potest existencia de homine, quin dicatur aliquid repugnans essentia hominis. Idem dico de morte, combustionem, morbo, quibus existencia hominis destruitur non destructa eius essentia. Quorum omnium ratio est, quia, vt dixi, accidens non conuenit subiecto ratione essentia à qua non fluit, sed ratione existentia. Et hæcenus satis sit de quinque prædicabilibus.

QVÆSTIO III.

De Prædicamentis.

**C**ategorias decem, quibus mirabiliter totam gentium latitudinem complexus est Aristoteles, & singula suis veluti loculis assignauit, sola sibi sine dubio vindicat Metaphysica, cuius munus est entis vniuersalissimam rationem, & diuisiones exponere. Vnde tota hæc disputatio de prædicamentis tradita est in parte illa Metaphysicæ, vbi explicantur diuisiones entis, quarum sine dubio, præstantissima & scitu dignissima ista est. Superest ergo nunc solum vt breuiter ea dicam, quæ habet Philosophus de antepædicamentis, & postprædicamentis: prædicamentorum verò solæ definitiones hæc locum habent.

SECTIO



## SECTIO I.

## De Antepredicamentis.

Eorum significatio.

**S**ic appellantur à Philosopho, *voces quadam, & regula conducentes ad notitiam predicamentorum*; easque voces triplici complexus est capite idem Philosophus. In primo explicat nomen vniuocum, æquiuocum, & denominatiuum. In secundo complexum & incomplexum, & diuisionem eorum quæ dicuntur. In tercio regulas de prædicatis essentialibus. Quæ omnia cum vnico velut obitu designauero, addam de analogiâ ea quæ indicasse magis videtur Philosophus, quàm exposuisse.

## S. I.

*Æquiuoca, vniuoca, paronyma, diuisiones, & regula prædicamentorum essentialium.*

Definitio-  
nes æqui-  
uoci &  
vniuoci.

**D**ico primò. *Æquiuoca rectè definiri, Quorum nomen est commune, & ratio substantia per nomen significata omnino diuersa. Vniuoca, Quorum nomen est idem, & ratio substantia per nomen significata est omnino eadem.*

Commune  
nomen.

Primò enim conueniunt inuicem æquiuoca, & vniuoca, quòd vocis sonum eundem habeant, per quem significantur; siue illud nomen sit, siue verbum; lego enim æquiuocum est ad legere, & legere; cum nomen sumi possit formaliter, vel materialiter: materialiter pro solo vocis sono, formaliter pro ipsa etiam significatione. *Æquiuocum ab vniuoco differt, quòd vniuoca commune habeant nomen materialiter & formaliter, æquiuoca materialiter tantum commune illud habeant, vt patet in nomine hominis, quod conuenit homini vero, & homini picto.*

Ratio sub-  
stantia.

Secundò, ratio substantiæ significata in vniuocis per nomen eadem omnino est, in æquiuocis omnino diuersa: vbi per *rationem substantia* significatur rei definitio, & essentia, quia scilicet licet tum in vniuocis, tum in æquiuocis idem sit nomen, definitiones tamen, & essentia rerum diuersæ sunt: diuersæ in æquiuocis, eadem verò in vniuocis. Eadem, inquam, non quidem vnitæ reali, sed vnitæ rationis & præcisionis, eo modo quo vniuersale vnum est à parte rei vnitæ solius similitudinis, vnitæ verò indiuisiōis per solum intellectum.

Obiectio.

Tertiò, ratio substantiæ in vniuocis eadem est secundum nomen illud significata, non autem alia quælibet ratio substantiæ, etiam rei illius propria: nam v.g. *homo*, & *equus*, in ratione significata per nomen *animal*, sunt vniuoca, licet non habeant communem essentiam significatam per aliud nomen, v.g. *equi* & *hominis*.

Dices. Illa sunt vniuoca, quorum nomen est idem, & ratio significata per nomen est eadem: sed æquiuoca idem habent nomen, & rationem eo nomine significatam omnino eadem; omnia enim dicuntur æquiuoca, & participant rationem æquiuocationis: ergo æquiuoca sunt vniuoca, quod videtur inconueniens.

Resp. non esse inconueniens, imò esse certum, quod æquiuoca vt formaliter sumpta, idest secundum nomen æquiuoci, sint vniuoca; naturaliter autem sumpta, idest secundum aliud nomen, non sunt vniuoca: verbi gratiâ canis coelestis, terrestis, & marinus non sunt vniuoca in nomine canis.

**A** Poterat hic addi, quamam sit vera radix vniuocationis; vtrum videlicet tunc solum ratio aliqua dici possit vniuoca, quando ita præcindi potest ab inferioribus, vt nec illa includat formaliter in conceptu suo, nec in illorum etiam præciso conceptu includatur: sed hoc dicitur sequenti §. vbi explicabitur propria ratio analogiæ.

Dico secundò, rectè denominatiua, seu paronyma definiri, *Quæcunque ab aliquo differentia casu, secundum nomen appellationem habent*; idest ea, quæ trahunt ab alio nomen, & à quo solâ terminatione differunt, vt iustus denominatiuum est nomen à iustitia, quæ vocatur forma denominans; incipit enim eodem modo, & diuerso modo definit; homo autem est subiectum denominatum, quia ille est quem iustitia inherens denominat iustum. Nomen ergo denominatiuum, & forma denominans conueniunt in re significata; nam iustitia & iustus formaliter eandem significat virtutem iustitiæ: differunt in modo significandi, cum vnum sit abstractum, alterum concretum; ideoque denominatiuum significat semper duo, subiectum scilicet sustentans, & formam adiacentem, cum forma denominans non significet subiectum. Latius igitur patet concretum, quàm denominatiuum; concretum enim vocatur etiam substantiuum, in quo nullum significatur propriè dictum subiectum, cum adæquatè significet substantiam: denominatiua verò sunt concreta solum adiectiua, in quibus forma significatur adiacens subiecto. Connotatiua quoque differunt à denominatiuis; illa enim deriuatum non habent nomen ab alio, quale habent connotatiua.

**B** Quæres, vtrum in nomine denominatiuo, quod significat formam & subiectum, primariò significetur subiectum, an verò forma.

Resp. formam per se loquendo primariò semper significari; subiectum autem secundariò tantum: quia illud primariò significatur, quod solum significatur distinctè ac formaliter: semper per se loquendo in denominatiuis distinctè ac formaliter significatur sola forma, subiectum verò confusè tantum, & materialiter: ergo per se loquendo forma primariò significatur, subiectum autem secundariò, tamen subiectum significetur semper in recto, forma in obliquo; iustus enim est subiectum habens iustitiam. Per accidens tamen fieri potest, vt subiectum significetur primariò in enunciatione, quoties videlicet in ea nomen denominatiuum est subiectum, vt si dicas, *Musculus ædificat*; cum denominatiuum tunc materialiter duntaxat significet: falsum est enim, quod musculus formaliter vt musculus ædificet.

**D**ico tertiò. Diuisio eorum, quæ dicuntur, sit commodè in quatuor membra significantia substantias quasdam esse vniuersales, quasdam singulares; accidentia quædam esse vniuersalia, quædam singularia. *Aliqua*, inquit Philosophus, *dicuntur de subiecto, & in subiecto non sunt; alia nec sunt in subiecto, nec dicuntur de subiecto; alia dicuntur de subiecto, & sunt in subiecto; alia denique sunt in subiecto, & de subiecto non dicuntur.* Vbi obserua, quod nomen subiecti iunctum verbo, *sunt*, significat subiectum inhesionis; iunctum autem verbo, *dicuntur*, significat inferiora. Alia ergo dicuntur de subiecto, idest de inferioribus; & non sunt in subiecto vllò inhesionis: huiusmodi sunt substantiæ vniuersales. Alia non dicuntur de subiecto, quia non habent vllā inferiora; & non sunt in subiecto, quia non inhaerent, cum sint substantiæ singulares. Alia dicuntur de subiecto, quia habent inferiora,

Denominatiua quid sunt, &amp; quid exigant.

Quid primariò significant.

Diuisio eorum, quæ dicuntur.



# Disp. II. Quæst. III. Sect. I. de Ante prædic. 37

inferiora; & sunt in subiecto, quia sunt in subiecto inhaesionis: talia sunt accidentia vniuersalia. Denique alia non dicuntur de subiecto, quia non habent inferiora, & sunt in subiecto inhaesionis, accidentia videlicet singularia.

Regulæ duæ de prædicatis essentialibus. Dico quartò, Regulæ de prædicatis essentialibus duæ assignantur. Prima est, *Quidquid prædicatur essentialiter de prædicato alicuius propositionis, prædicatur etiam de illius subiecto*; v. g. quia prædicatur essentialiter animal de homine, quidquid etiam essentialiter prædicatur de animali, prædicatur etiam essentialiter de homine; quæ verò accidentaliter solum dicuntur de animali, quales sunt differentie diuina animalis, non prædicantur de homine.

Altera regulæ est: *Generum diuersorum, & non subalteri positorum diuersa sunt specie differentie; generum vero subalternati positorum esse possunt eadem specie differentie*. Sensus regulæ prioris est, quod generum positorum in diuersis prædicamentis (hæc enim non sunt subalternati posita) differentie non esse possint eadem, modò sint vniuocæ; si non fuerint vniuocæ, esse possunt eadem; vt quia homo, & scientia sunt in diuersis categoriis, propterea nulla differentia vniuoca conuenire potest homini, quæ conueniat scientiæ; corporeum verò & incorporeum cum analogica sint, conueniunt substantiæ, & accidenti. Sensus alterius regulæ est, generum, quæ in eadem sunt categoria, tamen vnum alteri non subiiciatur, possunt tamen eadem esse differentie constitutivæ, modò non sint vltimæ, neque diuina: animalis v. g. & viuientis eadem est differentia, nempe animatum; quod tamen vltima non est differentia animalis, quia scilicet quæcunque superiori alicui conueniunt, inferioribus etiam eius omnibus necessariò conueniunt, esse v. g. sensitiuum, quia conuenit essentialiter animali, conuenit etiam equo & homini; differentie tamen diuinae generis, vt dixi, cum sint inter se oppositæ, non conueniunt inferioribus. Valentque duæ illæ regulæ potissimum ad ordinanda prædicamenta, tum quoad lineam directam, quæ vocatur profunditas prædicamenti; tum quoad lineam lateralem, quæ vocatur latitudo.

## S. II.

*Quid sit, an sit, quotuplex sit analogum.*

Definitio analogi. Dico primò, analogia rectè definiri ea, quorum nomen est commune, & secundum idem nomen ratio substantiæ partim eadem, partem diuersa. Nomen analogiæ. Ratio est, quia nomen analogi deriuatur ab analogia, quæ significat similitudinem cum aliqua dissimilitudine, id est proportionem; vocatur nimirum proportio, non qualibet similitudo, sed illa duntaxat, quæ iuncta est dissimilitudini. Si enim inter aliqua duo sit omnimoda similitudo, non dicuntur illa proportionem habere: duo v. g. non dicuntur habere proportionem ad duo, cum omnimodam habeant similitudinem. Si verò sit inter duo similitudinis aliquid, & aliquid dissimilitudinis, erit inter illa duo vera proportio, seu analogia, v. g. duo ad quatuor habent proportionem eo, quod quatuor habeant bis duo. Ergo parer analogum illud vocari, quod participat idem nomen & rationem substantiæ, partim similem, partim dissimilem. Verum difficultas est, quænam sit vera radix propriæ analogiæ, id est, quænam sit ratio, ex qua dignosci possit aliquid habere rationem omninò eandem significatam per idem nomen, & esse vniuocum; vel habere illam partim eandem, partim diuersam, & esse analogum.

Radix analogiæ. Dico secundò, Veram & propriam radicem analogiæ esse præcisionem imperfectam rationis ali-

R. P. de Rhodæ curs. Philosoph.

A cuius communis ab inferioribus, ad eò vt toties ratio aliqua vniuoca sit, quoties ita præscinditur à differentis suorum inferiorum, vt in suo conceptu nec illas includat, nec in illis includatur: animal v. g. vniuocum est ad rationale & irrationale, quia perfectè ab illis præscinditur, ad eò vt in conceptu præciso animalis illa non includantur, neque animal includatur in conceptu præciso rationalis, & irrationalis. Toties autem ratio aliqua sit partim eadem, partim diuersa, siue analogæ, quoties imperfectè solum præscinditur à differentis suorum inferiorum: v. g. ens est analogum ad substantiam, & accidens, quia ita præscinditur ab illorum differentis perfectitate ac inhaerentia, vt neutram quidem includat in præciso suo conceptu, sed perfectas tamen & inhaerentia includant in suo formali rationem entis, & ab ea non possint præscindi.

B Ratio est, quia tunc communis aliqua ratio est analogæ, quando est partim similis, partim dissimilis: sed quoties illa ratio ita præscinditur à differentis, vt differentia ab ea non possint præscindi, est partim similis, & partim dissimilis; nam est similis in statu abstractionis, & dissimilis in statu contractionis: ergo tunc illa ratio est analogæ. Quæ verò in contrarium possunt opponi, soluantur in Metaphysica, cum ago de analogia entis.

Dico tertio, admittenda omninò esse vera & propria analogæ, distincta ab æquiuocis & vniuocis. Ita communis asserunt Doctores cum S. Thomæ, negant verò non pauci, nec ignobiles Philosophi. Contra quos tamen

C Ratio est, quia multa sunt quorum idem est nomen, & ratio substantiæ nec omninò similis, nec omninò dissimilis: ergo dantur analogæ. Antecedens probatur. Substantia & accidens commune habent nomen entis, & rationem entis non habent omnino diuersam, nec omnino eandem. Præterea pater, cor, fons, & punctum, significata per nomen principij, nec sunt omninò eadem, nec omninò diuersa. Eadem sunt, quia verè sunt principia; diuersa sunt, quia diuerso modo principiant; cor enim non eodem modo principiat vitam, quod punctum principiat lineam, & fons principiat fluium. Ratio à priori est, quia fieri potuit, vt pluræ secundum rationes diuersas haberent aliquam habitudinem, quæ non sufficeret ad vniuocationem, & tamen non constitueret æquiuocationem.

Obicitur primò, Ratio communis analogæ non est vna, sed multiplex: ergo pertinet partim ad vniuocæ, partim ad æquiuocæ. Probatur antecedens. Implicat vt aliquid sit simile alteri, & dissimile secundum rationem omninò eandem; alioqui affirmaretur de eodem secundum idem, est, & non est: per rationem analogam inferiora sunt similia, & dissimilia: ergo ratio analogæ non est vna, sed multiplex. Deinde implicat vt aliquid secundum id quo est simile, sit dissimile: ergo ratio analogæ est multiplex.

E Resp. rationem communem analogam esse vnam analogicè, non esse vnam vniuocè. Distinguitur ergo hæc maior. Implicat vt aliquid sit alteri simile, & dissimile secundum eandem rationem vniuocè vnam, concedo; analogicè vnam, nego. Quod verò addi potest, de eodem secundum idem affirmari, est, & non est; secundum idem non potest affirmari, omnino est, & omnino non est, concedo; non potest affirmari, partim est, & partim non est, nego. Similiter altera illa maior debet distingui. Implicat vt aliquid simile sit alteri vniuocè, secundum id quo est dissimile, concedo; vt sit simile analogicè, nego.

Instantis. Vel analogica illa ratio est diuisibilis, vel est indiuisibilis. Si indiuisibilis: ergo secundum id quo aliquid est simile alteri, est dissimile

D secundum



secundum idem. Si est diuisibilis: ergo partim est A  
vniuoca, partim æquiouoca.

Resp. rationem quamlibet analogam esse imper-  
fectè diuisibilem, & imperfectè indiuisibilem, quia  
non potest præcindi: unde non est absurdum di-  
cere, quod secundum idem, analogum aliquid si-  
mile sit, & dissimile.

Secunda  
obiectio.

Obicitur secundò. Inter omnino idem, & non  
omnino idem dari non potest medium, cum illa sint  
contradictoria, quæ nullum admittere possunt me-  
dium: vniuoca sunt omnino idem, æquiouoca sunt  
non omnino idem, seu quod idem est, omnino non  
idem: ergo inter vniuoca, & æquiouoca nullum est  
medium analogum.

Resp. concedendo quod inter contradictoria ni-  
hil est medium, modò sint verè contradictoria, qua-  
lia non sunt vniuoca & æquiouoca, quæ contrariè  
magis opponuntur, sicut album & nigrum; non au-  
tem contradictoriè, sicut album & non album. Ita-  
que illud, non omnino idem, sumi potest vel positiuè,  
ita ut significet omnino diuersum, vel negatiuè, ita ut  
neget omnino idè. Inter omnino idem, & non om-  
nino idem negatiuè nõ datur mediũ: inter omnino  
idem, & non omnino idem sumptum positiuè datur  
mediũ: sicut inter albũ, & nõ album positiuè sum-  
ptum datur medium, videlicet nigrum; inter albũ, &  
non album sumptum negatiuè nihil est medium.

Tertia ob-  
iectio.

Obicitur tertio, si sumatur nomen *sani*, quod  
communiter analogum esse dicitur ad hominem,  
medicinam & pomum, probo illud esse reuerè æqui-  
uocum: ergo illa quæ dicuntur analogæ purè sunt  
æquiouoca. Illa sunt æquiouoca, quorum nomen est  
commune, definitio nomini respondens est diuersa:  
huiusmodi est nomen *sani* ad illa tria; si enim de-  
finiatur sanum prout conuenit homini, dicitur esse  
illud quod habet sanitatem; si prout conuenit me-  
dicinæ, definitur, quod facit sanitatem. In risu  
etiam idem patet, qui dicitur analogicè homini, &  
prato. Nam prout conuenit homini, definitur mo-  
tus diaphragmatis; prout conuenit prato, defini-  
tur effectuum lætitiæ.

Resp. illud esse discrimen inter analogæ & æqui-  
uocæ, quod analogæ semper participant rationem  
communem significatam nomine analogo, licet  
diuerso modo illam participant; æquiouocæ nullo  
modo participant formam nomine communis sig-  
nificatam, v.g. homo & medicina verè participant  
sanitatem significatam nomine *sani*, sed non eodem  
modo illam participant: homo autem pictus non  
participat vllò modo rationem significatam nomine  
*hominis*. Unde ad argumentum distingo minorem:  
sed definitio *sani*, quæ conuenit pomo, homini, me-  
dicinæ, diuersa est à definitione, quæ conuenit ho-  
mimi, est diuersa secundum formam sanitatis parti-  
cipatam, nego; est diuersa secundum modum parti-  
cipandi, concedo. Ad exemplum de risu eadem ratio  
est, forma enim risus eadem significatur in homine,  
& prato, sed non eodem modo participata.

Dux species  
analogo-  
rum.

Dico quartò, duas esse species analogorũ; alia sunt  
analogæ attributionis, alia sunt analogæ proportionali-  
tatis. Analogæ attributionis, vel ut appellant alij,  
proportionis, illa sunt, quorum idem est nomen, ratio  
autem substantia eadem, cum ordine eandè dependentia  
ad vnum. Analogæ proportionalitatis sunt ea, quorum  
nomen est idem, & ratio substantia diuersa secundum  
se, sed cum comparatione eorum inter se. Ita ex Arist.  
colligunt Philosophi cum S. Thoma.

Proportio  
& propor-  
tionalitas.

Obserua hæc nomina, *proportio*, & *proportionali-  
tas*, desumpta esse ab Arithmeticis, nam propriè sig-  
nificant similitudines numerorum inter se, commu-  
niter autem, ut dixi, significant similitudinem quan-  
dam cum dissimilitudine, quæ duplex esse potest: alia

est similitudo rerum, alia est similitudo proportionũ.  
Proportio rerum est cum res ipsæ sunt similes inter  
se, ut duo & quatuor proportionem habent rerum,  
quam vocant duplam. Proportio similitudinum est  
cum res inter se non sunt similes, sed habent simili-  
tudines similes; nam sicut duo ad quatuor habent  
proportionem duplam, ita sex ad duodecim; duo enim  
& quatuor non sunt similia senario & duodenar-  
io, sed tamen similes habent similitudines. Et hæc  
proportio similitudinum seu proportionum voca-  
tur *proportionalitas*. Hinc fit ut quælibet proportio-  
nalitas exigat quatuor habere terminos, quia est  
proportio duarum proportionum; quælibet autem  
proportio duos habet terminos: ergo quælibet pro-  
portionalitas habet quatuor terminos. His positis.

Primò dixi, duas esse species analogiæ, quia cum

analogia significet proportionem, tot sunt species

analogiæ, quot sunt species proportionum: duæ au-

tem, ut dixi, sunt species proportionum: ergo duæ

sunt species analogiæ. Alia est similitudo inter res

aliquo modo dissimiles, & vocatur analogia attri-

butionis, siue proportionis, quia est simplex propor-

tio: alia est proportio inter ipsas similitudines, quæ

vocatur analogia proportionalitatis.

Secundò dixi, analogæ attributionis, quæ nimi-

rum similitudinem habent in rebus ipsis, definiri ea,

quorum idem est nomen, & ratio substantiæ eadem se-

condum se; sed cum ordine dependentia ad vnum, id-

est, quando ratio communis conuenit pluribus ead-

em in se ipsa, sed diuersa ratione dependentiæ ad

vnum: v.g. eas est analogum attributionis ad Deum

& creaturas, ad substantiam & accedens, quia ratio

entis eadem conuenit Deo & creaturis, sed creaturis

dependentem ad Deo: conuenit substantiæ & acci-

dentem, sed accidenti dependentem ad substantiam. Eadem

est ratio nominis *sanum*, quod conuenit medicinæ,

colori & cibo per ordinem ad hominem, cuius de-

monstrant vel efficiunt sanitatē. Illud ergo primum

ad quod reliqua dicunt ordinem, est principale ana-

logatum, alia dicuntur analogata secundaria. Quod

illa vera sint analogæ, hinc patet, quia sunt similia

in eadem ratione secundum se sumpta, dissimilia in

ratione dependentiæ, quæ præcindi non potest à

secundariis analogatis, alioqui essent vniuocæ.

Tertio dixi, analogæ proportionalitatis, siue quæ

habent similitudinem similitudinum, illa esse, quo-

rum idem est nomen, & ratio substantiæ diuersa se-

condum comparationem eorum inter se. Id est quando ali-

quod nomen dicitur de pluribus secundum diuersas

rationes, sed propter comparationem aliquam inter

ipsas; tunc enim ratio illa diuersa est in ipsis secun-

dum se, sed eadem, quia illa inter se comparatur

eodem modo: v. g. nomen *principij* analogum est

proportionalitatis ad patrem respectu filij, ad fon-

tem respectu riuulorum, ad cor respectu vitæ, ad pũ-

ctum respectu lineæ, ad fundamentum respectu do-

mus. Consistit autem analogia hæc in huiusmodi

comparatione: sicut se habet pater ad filiũ, ita quo-

dāmodo se habet punctum ad lineam, fons ad riuũ,

&c. idē analogia hæc vocatur *proportionalitas*, quia

est proportio duarum proportionum, similitudo

scilicet proportionis quam habet pater ad filium,

cum proportionem quam habet fons ad riuum, &c.

Quod autem hæc vera sit analogia, hinc patet,

quia rationem habet illa diuersam secundum se, sed

eandem comparatiuè, quia scilicet eodē modo inter

se comparatur. Differunt ab analogis attributionis,

quod omnia in analogis attributionis dicant ordi-

nem ad vnum principale analogatum; in analogis

verò proportionalitatis ordo ille non reperitur, sed

similitudo tantum secundum comparationem; quia

cum omne analogum dicatur quidem de pluribus

secundum

Analogæ at-  
tributionis.

Analogæ  
proportio-  
nalitatis.

Vera illis  
conuenit  
analogia.



secundum rationes diuersas, & secundum aliquam habitudinem; analoga tamen attributionis dicuntur secundum habitudinem, qua vnum pendet ab alio, & ad illud ordinatur: analoga verò proportionalitatis dicuntur secundum habitudinem, qua vnu comparatur, & quodammodo assimilatur alteri. Siue analogū attributionis est, quod de vno dicitur propter se, de aliis verò dicitur, quia sunt aliquid illius. Sanum v. g. dicitur de medicina, eo quod medicina causet hominis sanitatem; de colore, quia est illius signum. Analoga verò proportionalitatis non dicuntur eo, quod vnum sit aliquid alterius, sed eo quod sit sicut est aliud. Punctum v. g. dicitur principium, non quia est aliquid patris, sed quia est aliquid ad lineam, sicut pater est ad filium; vnde attributio sit vnus termini ad alium; proportionalitas autem est inter proportionem vnus ad vnum, & proportionem alterius alterum.

Altera sub-  
diuisio ana-  
logorum.

Quartò denique, quia ratio illa communis esse potest intrinseca omnibus analogatis, vel vni duntaxat intrinseca; idèd analoga dicuntur alia esse attributionis intrinsece, vt ens respectu substantiæ, & accidentis; vel attributionis extrinsece, vt sanum, quia sanitas intrinseca est homini, medicinæ verò extrinseca. Similiter quædam sunt analoga proportionalitatis intrinsece, vt risus homini est intrinsecus, prout metaphoricus.

## SECTIO II.

Summarium de prædicamentis, tum in genere, tum in specie.

Quæ fusè ac plenè in Metaphysica, breuiter hic, & in Epitome colligo, ne manca videatur Dialectica sine categoriis, quarum sola definitio, & diuisio vtilis esse potest directioni primæ operationis mentis.

### S. I.

Categoria in genere.

Definitio  
categoriæ.

Summi ge-  
neris defini-  
tio.  
Conditio-  
nes entis  
categoriæ.

Dico primò. Categoria est *series eorum, qua sub aliquo supremo genere collocantur*: v. g. substantia est categoria, quatenus sub ea ponuntur, corpus, viuens, animal, homo. Summum autem genus significat illud, quod supra se nihil habet vniucum.

Dico secundò. Id quod ponitur in recta linea categoriæ, debet necessariò esse, primò ens reale, secundò ens per se, vnius nimirum essentia, idèd non compositum ex pluribus entibus completis, nec ex rebus diuersorum prædicamentorum; tertio completum, idèd non ordinatum ad compositionem vilius entis per se, vel certè de eo prædicatur in quid, idèd differentia non ponuntur in prædicamento; quia prædicantur in quale quid: quartò vt sit finitum essentialiter, quam ob causam Deus non est in categoria, quia ens essentialiter infinitum non potest habere differentiam extra genus: ergo non potest esse in prædicamento. Probo antecedens, quia in ente infinito essentialiter, vel genus, & differentia essentialiter sunt infinita, & sic necessariò se includunt inuicem; vel non sunt infinita, & sic non componunt ens infinitum, cum ex duobus finitis non fiat nisi finitum. Secundò ens prædicamentale debet esse vniucum, & concretum.

Numerus  
categoriæ  
num.

Dico tertio. Decem sunt categoriæ.

Ratio est, quia tot sunt modi vniucoci prædicandi de prima substantia; vel enim queritur, *quid est*; & sic est categoria *substantia*: vel queritur, *quanta est*, vbi vides categoriam *quantitatis*: vel *qualis*; & est *qualitas*: vel *ad quid referatur*; & est *relatio*: quid *agat*, est *actio*: quid *recipiat*, est *passio*: quem *occupet*.

R. P. de Rhodens curs. Philosoph.

**A** *locum*, est *vbi*: quantum *duret*, est *quando*: quem statum habeat in loco, est *situs*: quomodo *vestia* sit, vbi apparet prædicamentum *habere*. Non. sunt ergo tot prædicabilia, quot prædicamenta, quia numerus prædicabilium sumitur ex modis prædicandi de inferioribus, quos dixi esse tantum quinque; numerus categoriarum petitur ex modis prædicandi de prima substantia, qui sunt decem.

**B** Obiicitur primò, pauciora videri esse prædicamenta, quam decem; nam accidens completum non minùs constituere potest vnum prædicamentum, quam substantia completa, si non minùs præscindatur à differentiis contrahentibus, quam præscinditur substantia: sed accidens completum non minùs præscinditur, quam substantia: ergo sicut substantia est vnum prædicamentum, sic & accidens. Probat minor; nam idèd substantia completa præscinditur à differentiis incompletis, quia ens completum contineri non potest in ente incompleto, quales sunt differentia substantia: sed differentia ipsius accidentis incompleta sunt: ergo accidens non minùs præscindi potest perfectè à differentiis, quam substantia.

**C** Resp. accidens completum non constituere vnicam categoriam, cum tamen illam constituat substantia completa. Ratio disparitatis est, quia substantia completa est vniucoca, cum præscindatur à differentiis substantialibus, quæ cum incompleta sint in ratione communi substantia, non possunt continere substantiam completam. Accidens autem completum vniucocum non est, quia includitur necessariò in differentiis contrahentibus, quæ licet incompleta sint in ratione talis accidentis, completa tamen sunt in ratione communi accidentis, quæ adèd imperfecta est, vt descendere non possit ad inferiora quin descendat tota; sicut ens etiam completum vnam non constituit categoriam, eo quod inferiora entis, quantumvis incompleta sint in ratione talis entis, completa tamen semper sunt in ratione communi entis; atque adèd communis illa ratio entis completi includitur semper in omnibus differentiis. Patet ergo discrimen accidentis completi, & substantia completa, quod imperfectissima sit communis ratio accidentis completi, quæ propterea integra semper descendat ad quælibet inferiora accidentalitè; ratio autè substantia completa perfectior sit, possitque nõ integra descendere ad inferiora. Neque dici potest, duas tantum esse posse categorias accidentium, spirituale videlicet, & corporeum; vel etiam absolutum, & respectiuum. Nego enim illa vniucocè conuenire, cum ad diuersa pertineant genera.

**D** Obiicitur secundò, plura posse assignari prædicamenta quam decem; quia plures alia possunt excogitari denominationes extrinsece, v. g. esse armatum, esse amatum, esse liberum, esse caudicum, habere exorem, esse Doctorem.

**E** Resp. nullam aliam excogitari posse denominationem extrinsecam, quæ rationem habeat formæ physica completa, afficientis primam substantiam: homo v. g. non consideratur vt forma armorum, vestis, loci, amoris, &c. Habere uxorem, esse Regem, esse bonum, esse caudicum, esse Doctorem, formæ sunt tantum morales; agitur autè hic de solis formis physicis. Esse liberum pertinet ad categoriam qualitatis, est enim habere potentiam indifferentem.

### S. II.

Substantia, Quantitas, Qualitas.

**D**ico primò. Substantia est ens per se subsistens, saltem aptitudinaliter; idèd, ens quod existit non esse in alio vel tanquam in subiecto, vel tan-

Prima ob-  
iectio.

Secunda  
obiectio.

Definitio  
substantia.

Quantitas



quam in termino. Forma substantialis materialis verè substantia est, quia non est in alio tanquam in subiecto, sed in alio tanquam pars faciens cum eo vnum. Substantia summum genus categoricum, est substantia finita & completa; unde Deus transcendit omnem categoriam ex eo quod ratio substantiæ nonnisi analogica conueniat Deo & creaturis, cum ens essentialiter infinitum includat in conceptu suo formali omnem perfectionem, atque adeo nulla diuina perfectio præscindi possit à veritate. Sed hæc alibi.

Diuisio in primam & secundam.

Dico secundò. Diuisio substantiæ in primam & secundam substantiam, idest in substantiam singularem, & vniuersalem, nõ est diuisio generis in duas species, sed diuisio subiecti in duo accidentia, sicut cum dicitur, *Hominum alij sunt albi, alij nigri.*

Ratio est, quia dicere substantiam aliam esse primam, aliam secundam, est dicere aliam esse singularem, aliam vniuersalem: sed esse singularem aut vniuersalem, accidentia sunt substantiæ, cum non ingrediantur conceptum eius formalem: ergo diuisio substantiæ in primam, & secundam non est diuisio generis in species, sed diuisio subiecti in accidentia, quorum vnum conuenit substantiæ independentem ab intellectu, alterum dependentem. Solum obiecti, diuisionem hanc esse non posse bonam, cum in ea totum diuisum, nempe substantia, sit idem ac vnum membrum diuidens, nempe secunda substantia; si enim diuiditur, est aliquid commune; si est aliquid commune, est secunda substantia. Facilis responsio est, secundam substantiam esse aliquid commune quidditatiuè ac essentialiter: substantiam verò quæ diuiditur, esse substantiam communem accidentaliter, atque ita differre membrum diuidens à toto diuiso.

Quantitas.

Dico tertio. Quantitas est accidens extensuum localiter, & impenetrabiliter: tres sunt illius species, linea, superficies, corpus, quæ non se includunt formaliter, sed solum materialiter; & prout se includunt, non sunt tota.

Qualitas.

Dico quarto. Qualitas est accidens per se primo constitutum, ut intrinsecè orietur, perficiaturque substantiam in suo esse, vel agendi virtute. Quatuor sunt tantum illius species. Prima habitus & dispositio, seu habitus inchoatus: secunda potentia & impotentia, seu debilis potentia: tertia passio & patibilis qualitas, seu permanens: quarta figura & forma. Quæ diuersæ species essentialiter inter se differunt, membra verò eiusdem speciei differunt solum accidentaliter.

### §. III.

*Relationis quidditas, realitas, distinctio, &c.*

Definitio relationis.

Dico primò. Relatio prædicamentalis est accidens, cuius totum esse est ad aliud se habere, idest, cuius totus effectus formalis, quem habet in subiecto, est efficere ut respiciat aliud: ex quo soluitur vulgaris obiectio: Relatio habet tantum esse ad, non habet esse in; atque ita non est accidens, quod necessariò dicit esse in. Respondeo enim, relationem habere reuerà esse in subiecto, cuius totum munus est referre subiectum ad aliud; hic enim, ut dixi, est sensus verborum definitionis.

Eius realitas.

Dico secundò, relationem categoricam esse verum ens reale, nec esse tantum per intellectum. Ratio est, quia licet nullus intellectus cogitet, paries albus est verè similis parieti albo; & pater est reuerà pater filij, quem genuit. Idem de omnibus formalitatibus iudicium est, quæ sunt entia verè realia, & præcedunt omnem operationem intel-

lectus, à qua non dependent, quamuis ante operationem intellectus non sint distincta ab entitatibus, quarum sunt formalitates.

Dices. Omne quod est ens reale, producitur per veram actionem realem: formalitates non producuntur, sed tantum resultant, posito v. g. termino extrinsecò: ergo relationes non sunt reales ante operationem intellectus.

Obiectio.

Resp. distinguendo maiorem: omne quod est reale distinctum ab aliis realiter, fit per veram actionem, concedo; omne ens reale, quod non distinguitur ab aliis nisi connotatiuè, & secundum id quod connotat in obliquo, fit per actionem distinctam, nego. Formalitas qualibet, & relatio propriè non fit, sed resultat ex illa entitate, quam denominat.

Dico tertio. Relatio categorica sola ratione distinguitur à fundamento, non autem villo modo realiter.

Indistinctio à fundamento.

Ratio est, quia posita in duobus parietibus albedine, & præscindendo à quolibet alio, reuerà illi duo parietes sunt similes; illa enim sunt similia, quorum una est qualitas: & duos parietes albos esse similes, est vnum parietem esse album, sicut alter est albus. Adde, quod relatio non habet causam productiuam distinctam à causa productiuâ fundamenti & termini, neque fit per actionem distinctam: ergo non habet entitatem distinctam.

Dices. Relatio separatur realiter à fundamento, quia paries manens albus, definit esse similis alteri parieti, qui destruitur: ergo relatio distinguitur realiter à fundamento. Imò si relatio non est nisi entitas fundamenti, posita entitate fundamenti, tota ponitur relatio; posita enim forma in subiecto, ponitur tota denominatio, & totus effectus formalis, qui non est aliud, quam forma in subiecto; & sic pater est, & denominari potest pater puer vnus anni: nam quotiescunque totum habet homo, quod est formaliter & intrinsecè necessarium ad aliquam denominationem, ibi est tota denominatio; puer autem habet totum, quod est formaliter & intrinsecè necessarium ad relationem paternitatis: ergo denominari potest pater. Et paries denominari potest similis parieti, qui destructus est; habet enim totam entitatem intrinsecam necessariam ad similitudinem. Denique quoties accedit alicui subiecto noua denominatio, accedit etiam illi necessariò noua forma; sed quando paries denominatur de nouo similis, accedit ei noua denominatio: ergo accedit etiam ei noua forma. Hoc argumentum fusiè proposui, & solui loco sapiùs citato Metaphysicæ, nunc breuiter.

Prima confirmatio.

Secunda confirmatio.

Resp. illa omnia solui vnica distinctione: relatio separatur realiter à suo fundamento, secundum id quod intrinsecè ac in recto dicit relatio, negatur; secundum id quod relatio in obliquo & extrinsecè connotat, concedo: relatio enim est entitas fundamenti non solitariè sumpta, sed prout connotans terminum in obliquo. Rectum videlicet relationis, siue id quod dici potest relatio, est solum fundamentum; terminus autem est obliquum. Paries manens albus definit esse similis alteri parieti, qui destruitur, secundum id quod similitudo dicit in obliquo, non secundum id quod similitudo dicit in recto. Non sequitur ergo quod relatio distinguitur à fundamento, quia illa non distinguuntur realiter, quæ separantur secundum id quod dicunt solum in obliquo.

Rerum & obliquum relationis.

Similiter posita forma in subiecto, tam secundum id quod illa dicit in recto, tam secundum ea quæ connotat in obliquo, ponitur tota denominatio.

ratio.



tio, & totus effectus formalis: sed neutrum ponitur quando forma ponitur in subiecto secundum eam tantum, quæ dicit in recto; debet enim adesse cum rectum, tum obliquum. Puer igitur unius anni denominari non potest pater, etiam si habeat totum id quod paternitas dicit in recto; & pater dici non potest similis patri non existenti, ob eandem causam.

Denique verum est, quod quoties accedit alicui subiecto noua denominatio, debet illi etiam accedere noua forma, vel secundum id quod dicit in recto, vel secundum id quod dicit in obliquo; ideo quando pater prius albus denominatur de nouo similis patri recens dealbato, accedit ei similitudo secundum id quod illa dicit in obliquo.

Multa hæc supersunt de fundamento relationis, de termino illius, de ratione fundandi, de relationibus transcendentalibus, de relatione secundum dici, & relatione rationis; sed illa facile peti possunt ex Metaphysica, ubi etiam non omisse sunt sex ultimæ categoriæ.

### SECTIO III.

#### De Postprædicamentis.

**S**ic vocantur à Philosopho quinque prædicamentorum veluti proprietates & consecraria, inter quæ primum locum tenent Opposita, quibus alia quatuor idem subnequit Philosophus, Prius, Simul, Motus, & Habere.

#### S. I.

##### Oppositorum definitio, & varia species.

Definitio oppositorum.

**D**ico primò. Illa dicuntur opposita, quæ incompatibilia sunt in eodem subiecto, eo quod peculiariter ratione inter se pugnant. Oppositio autem est peculiaris repugnantia duorum, quæ incompatibilia sunt in eodem subiecto.

Ratio est, quia duo requiruntur, ut aliqua duo sint inter se opposita, & non tantum disparata. Primò incompatibilitas eorum in eodem subiecto; quæ tamen si sola fuerit, disparata illa erunt, non opposita; homo enim & lapis in eodem esse nequeunt, & tamen opposita non sunt, quia non magis pugnant inter se, quam lapis & cælum. Secundò igitur requiritur ut opposita peculiari ratione inter se pugnent, ita ut cum nulla re similem repugnantiam habeant; sic enim calor v. g. & frigus opposita sunt, non solum quia expellunt se ab eodem subiecto, sed ita etiam inter se pugnant, ut cum alio nullo habeant similem repugnantiam.

Ex quo colliges, oppositionem non superaddere aliud subiecto, nisi relationem vel realem, si extrema sint positiva; vel rationis, si alterum extremum fuerit negatio; ens enim referri non potest realiter ad non ens.

Varia species.

Dico secundò. Genera oppositorum nec plura sunt, nec pauciora, quam quatuor, Relatiua, Contraria, Priuatiua, Contradictoria.

Ratio est, quia quæcunque pugnant inter se, vel sunt ambo positiva, vel vnum positivum, alterum negatiuum; vel ambo sunt negativa. De ultimis istis non agitur, quia oppositio sumitur in ordine ad categorias. Si ambo positiva sunt, vel vtrumque absolutum est, & sic sunt contraria; vel vtrumque respectiuum, & oppositio est relatiua, ut pater & filius. Si alterum extremum sit negatiuum, vel illa negatio dicit aptitudinem in subiecto, & erit oppositio

R. P. de Rhodæ curs. Philosoph.

A sitio priuatiua, vel non dicit illam aptitudinem, & est oppositio contradictoria.

Dices. Oppositio in genere relatio est; ergo relatio non est species oppositionis; membrum enim diuidens non est totum diuisum.

Resp. negando consequentiam, quia licet oppositio relatio sit, non est tamen oppositio relatiua, quia oppositio relatiua illa est, cuius membra ex specialiratione sunt ad aliud, non tantum ex generaliratione. Hoc autem non habet omnis oppositio, v. g. filius dicitur esse patris filius; frigus autem non dicitur caloris frigus.

Dico tertio, priuatiue opposita illa esse, quorum vnum extremum est forma positiva, alterum est eius negatio in subiecto apto ad illam formam; v. g. visus & cæcitas priuatiue opponuntur, quia visus forma est positiva, cæcitas eius carentia in homine apto ad habendum visum.

Dico quarto, contradictoria illa dici, quorum vnum extremum est positivum, alterum eius est negatio secundum idem, inter quæ nihil in re potest esse medium; v. g. album & non album, ens & non ens; quia non ens priuatiue non est, sed est pura negatio entis, nullam connotans in subiecto aptitudinem ad ens. Dixi vtrumque esse debere secundum idem; si enim sint in ordine ad diuersa, non est vlla contradictio, nam v. g. Petrus potest esse sapiens secundum suum iudicium, non secundum iudicium aliorum. Contradictio verò erit, si dicatur sapiens, & non sapiens secundum suum iudicium. Dixi secundò, quod inter contradictoria nihil est medium in ipsa re; hoc enim primum est omnium, & certissimum principium, de quo dicitur in Metaphysica De quolibet verum est dicere est, vel, non est. Quod tamen cum addito illo, in ipsa re, debet necessariò intelligi. Potest enim aliquid considerari, vel secundum rem ipsam, scilicet prout est à parte rei; vel secundum præcisionem intellectus. Si secundum rem intelligatur, certum est, de quolibet posse aliquid affirmari, aut negari; quodlibet enim à parte rei vel est album, vel non est album; & sic inter contradicentia non est à parte rei vllum medium. Si autem consideretur secundum præcisionem intellectus certum est esse medium inter extrema contradictoria, id est, non posse de quolibet secundum abstractionem mentis considerato affirmari est, aut non est; quia scilicet abstractio non separat realiter vnum ab alio, sed vnum duntaxat considerat, & non considerat aliud. Quid igitur obstat, quin considerare possim aliquid secundum se, non considerato eo quod illi conuenit? v. g. ens à parte rei, vel est creatum, vel increatum; sed secundum se, siue in statu abstractionis consideratum, nec est creatum, nec increatum; si enim esset creatum secundum se, vbicumque inueniretur ens, illud esset creatum. Similiter animal secundum se nec est rationale, nec irrationale, licet à parte rei sit vel rationale, vel irrationale. Itaque dari posse medium inter contradictoria considerata, non est aliud nisi, quod aliquid considerari potest secundum se, præscindendo ab eo quod aliquid illi conueniat, aut non conueniat.

Dico quinto. Contraria illa sunt, quæ sub eodem genere plurimum distant, & ab eodem subiecto se expellant. Ita Philosophus 10. Metaph. c. 16. Debent ergo contraria esse sub eodem genere, alioqui non poterunt esse successiue in eodem subiecto; debent sub eodem genere plurimum distare, alioqui non se mutuo expellent; debent per veram actionem ab eodem subiecto se mutuo expellere. Vide Suarezem disp. 45.

De relatiue oppositis non habeo quod addam, quæ dixi sectione superiori de relatione.

D 3 §. II.

Obiectio.

Opposita priuatiue.

Contradictoria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.

Contraria.



## Reliqua Postpredicamenta.

Prioritatis  
quatuor  
modi.


**E**A sunt, ut dixi, quatuor, Prius, Simul, Mo-  
tus, & Habere.

*Prius* aliquid dicitur quatuor modis. Primò tempore, quando vnum existit aliquo tempore, in quo non existit aliud; Adam v. g. tempore prior est, quam Abel. Secundò naturā, illud scilicet à quo aliud dependet; sic enim omnis causa est prior suo effectui. Tertiò dignitate, ut dominus prior est seruo. Quartò origine, quando vnum est principium alterius, sed sine illius alterius dependentia, sicut in diuinis Pater prior est origine quam Filius; procedit enim à Patre ut à principio, sed ab eo non est dependens.

Tres modi  
simultatis.

*Simul* tribus modis dicitur. Primò tempore, ut Socrates & Plato. Secundò per existentie consequentiam, ut relata. Tertiò quæ æqualiter idem genus participant, ut equus & leo.

*De motu* in Physica prolixè dicam. *Habere* quid sit, nemo nescit.



## DISPUTATIO III.

*De secunda operatione, qua dicitur Enunciatio. Ad duos Aristotelis libros de Interpretatione.*

Iudicium



Ic est alter mentis humanæ fœtus, priori, de quo hætenus dixi, longè præstantior & nobilior, sicut varia significant eius nomina; dicitur enim *Iudicium*, quatenus adhuc in mente later, quia, per illud arbitra rerum omnium velut in tribunali sedens hominis ratio, iudicat de præsentibus, præterita reuocat, occupat futura; quæ mala sunt, damnat; approbat quæ recta sunt; amplectitur veritatem, refugit falsitatem. Dicitur *Enunciatio*, propterea extra per instrumenta vocalia prodians, arcana pandit, veltit verbum mentis, & rei sine corpore ipsa corpus & figura est, nuncia mentis, interpret cogitationum, societatis humanæ nexus, animæ famula, rationis filia, educta in lucem obsterice lingua, ore cunabulo, aëre vehiculo; integra manens, & in singulis audientium auribus dispersa; collecta, & diuisa; simul nascent, & simul moriens; thesaurus in nihilo; ipsa laus, ipsa vituperium; ipsa verum, ipsa mendacium; ipsa error, ipsa scientia, in dō scientiarum omnium parens, de qua quidquid dixeris, per ipsam semper, & cum ipsa dixeris. Ad eam ergo accuratè declarandam progrediens, duo inuenio, quæ de illa dicam. Primum est natura eius, & variæ conditiones, ac diuisiones: secundum primaria eius proprietates, veritas & falsitas: tertium autem quod addi poterat de reliquis eius proprietatibus, æquipollentia, conuersione, oppositione, pertinet ad summulas.

Enunciatio

## QVÆSTIO I.

*Natura, conditiones, variæ diuisiones Enunciationis.*

**T**Ria hæc præmitti necessariò debuerunt ad declarationem integram essentia istius operationis, quæ quatenus in mente later, vocatur, ut dixi, *Iudicium*, sed compositum aut diuisum, vel melius compositio & diuisio, idest affirmatio, & negatio, assensus & dissensus: quatenus autem in ore nascitur, in aëre vehitur, in aure moritur, dicitur *Enunciatio*, propositio, prædicatio. Ut, inquam, naturam illius declararem, primò explico, quid illa sit, & qualis: secundò, quænam sint propriæ conditiones & regulæ illius in genere: tertiò quoruplex illa sit, & quænam sint regulæ singularum.

## SECTIO I.

*Quid sit Enunciatio.*

**I**ndifferenter hîc loquor de enunciatione mentali, vocali, & scripta; quæ duæ vltima non sunt iudicia, nisi dependent ab enunciatione intus in mente formata. Et quidditatem illius confidero, primò metaphysicè, declarando genus eius & differentiam; deinde physicè, dicendo illius materiam & formam.

## S. I.

*Enunciationis definitio, & comparatio eius cum prima operatione.*

**D**ico primò. Rectè definitur enunciatio, *Actus iudicatus dependenter à prima apprehensione, sine dependentia à præmissis: vel, Est oratio, quæ aliquid affirmat, aut negat.*

**R**atio est, quia iudicium intellectus, propterea prima apprehensione distinguitur, est actus, quo intellectus determinatè cognoscit rem esse, vel non esse, affirmando, vel negando; quod potest fieri tripliciter, atque aded aliud est iudicium simplex, aliud compositum, aliud illatum. Iudicium simplex est *Actus, quo intellectus cognoscit rem esse, vel non esse independenter à prima apprehensione*; cuiusmodi iudicium habet Deus, in quo vnicus actus est simplicissimus, apprehendens, iudicans, totumque simul cognoscens. Iudicium compositum est iudicium dependens à prima apprehensione prauia, & concomitante, idest, quoties per actum vnum apprehenditur aliquid, per alium autem iudicatur. Iudicium illatum est iudicium dependens à præmissis; ut, *Homo est risibilis: ergo est rationalis*. Intellectus videlicet noster (ut notat optimè S. Thomas 1. part. quæst. 85. art. 5.) propter summam imperfectionem, cum totam non possit adæquare cognoscibilitatem obiecti, & illud totum cognoscere vnico actu simplici, distinctis indiget actibus; vno, quo rem ipsam concipiat apprehendendo; alio, quo cognoscat determinatè affirmando, aut negando; sic enim in intellectu nunquam est iudicium, quod dum elicitur, non præsupponat, saltem prius naturā, primam apprehensionem, quæ durat etiam necessariò quandiu iudicium



cium durat; nemo enim de iis iudicat, quæ actu non percipit. Verum verò apprehensio illa sufficit vnica, an verò multiplex requiratur ad iudicium, dicetur infra. Nunc satis est dicere, nullum esse posse iudicium, quod à prima apprehensione non pendeat, tum in fieri, tum in conseruari. Ex quo patet, bonam esse allatam definitionem enunciationis, cum per eam distinguatur à prima operatione, quia est actus iudicarius; à iudicio simplici, quia pender à prima operatione distincta; ab illatio, quia non pender à præmissis.

Distinctio  
entis à sim-  
plici apprehen-  
sione.

Ex quibus colligi facile potest, verum discrimen enunciationis à simplici apprehensione male assignari à Vasque, in eo quod prima operatio nihil apprehendat nisi simplices terminos, & eorum significationem; enunciatum autem, apprehendat eorum connexionem. Quod sanè manifestè falsum videtur, quia per primam apprehensionem integræ propositiones cognosci possunt; non enim minus apprehendere possum copulam prædicati & subiecti, quam prædicatum & subiectum. Deinde sæpè cogitantur à nobis quædam propositiones, quarum nobis falsitas nota est; vt si audias hæreticum asserentem quod Angeli sunt corporei, tunc non est iudicium, quod esset sine dubio hæreticum: ergo non est nisi prima operatio. Differt ergo enunciatum à simplici apprehensione, quod enunciatum semper affirmet aut neget connexionem prædicati & subiecti; simplex apprehensio solùm apprehendat simplices terminos, vel integras propositiones; sed nihil vnquam affirmet, aut neget.

Dices. Propositiones ex propria sua ratione spectant ad secundam mentis operationem: ergo non possunt spectare ad primam. Deinde propositio est terminus complexus, cuius partes separatæ significant idem: ergo conceptus, quo terminus ille cognoscitur, habet etiam plures partes: ergo non est simplex.

Resp. propositiones diuerso modo spectare ad primam & ad secundam operationem. Ad primam operationem spectant, quatenus significatum duntaxat eorum concipitur absque affirmatione vel negatione. Ad secundam spectant, quatenus determinatè affirmant, aut negant. Deinde concedo, propositionem non vna simplici apprehensione totam posse cognosci, sed per plures conceptus simplices, quorum vno apprehenditur subiectum, altero prædicatum, altero copula.

§. II.

Quenam sit pars materialis Enunciationis.

Explicata quasi metaphysicè ipsa essentia enunciationis, nunc explicari debet quasi physicè per analogiam ad compositum physicum, in quo est materia & forma. Certum verò est, materiam necessariam enunciationis esse subiectum, prædicatum, & copulam ytriusque; quæ tria in qualibet enunciatione reperire necesse est. Certum item est, tria illa in mentali enunciatione, conceptus esse intus in mente formatos; in vocali autem esse voces, de quarum significatione agit prolixè Philosophus vsque ad cap. 5. cum quo mihi modò dicendum est, quid sit vox, quid & qualis eius significatio, quid primariò significet, & quanam ad eam significationem sint necessaria.

Dico secundò, rectè vocem definiri, *Est sonus ab animalis ore prolatus per naturalia instrumenta, ad aliquid significandum.* Itaque materiale vocis est so-

mus; formale verò est significatio; quæ significatio vt intelligatur.

Queritur primò quid sit signum?

Definitio  
signi.

Resp. signum vulgò definitur, *Est id quod facit aliud à se in cognitionem venire representando illud.* Tota enim essentia signi in eo est sita, vt potentia cognoscenti aliud representet; significare autem est facere vt aliud cognoscatur. Audita v. g. voce hac, *Deus*, non solùm eas cognosco quatuor litteras, sed ipsum etiam Deum infinitum mens sibi obicit. Nihil igitur se ipsum significat, seu representat, sed significat aliquid aliud; quia significatio, vt statim dicam, similitudo quadam & relatio est. Vide August. lib. de magist. ferè toto, lib. 1. de doctrina christ. c. 2. lib. 2. c. 1. vbi mirabiliter de ratione signi disserit, ostenditque, quomodo doctrina omnis ex signis proficiscatur.

Dices, totam hanc definitionem signi conuenire posse potentia cognoscenti; nam illa facit vt homo cognoscat. Imò & illam conuenire cuilibet causæ, in qua cognosci possunt effectus.

Resp. signum, vt signum est, representando formaliter per seipsum facere, vt aliud cognoscatur: potentia cognoscens efficienter causat cognitionem alterius, vel etiam sui ipsius; non hoc facit representando; causa quatenus representat effectus, vocari etiam potest signum, sed minus propriè, quia signum debet esse aliquid posterius re, quam representat; causa verò effectibus prior est.

Queritur secundò, quotuplex sit signum?

Diuisiones  
signi.

Resp. signum diuidi primò in naturale, & ad placitum: secundò in signum formale, & instrumentale. Signum naturale vocatur quod suapte naturâ vim habet representandi aliquid, vt iris naturaliter vim habet representandi serenitatem, fumus ignem. Signum ad placitum, seu ex instituto, vel, vt loquitur August. *signum datum*, illud est, quod significat ex quadam conuentione ac institutione hominum, & ex quadam quasi conuentione. Signum formale illud vocatur, quod licet non cognoscatur, facit tamen aliud in cognitionem venire. Huiusmodi sunt species expressæ, de impressis alijs videbitur. Signum instrumentale illud est, quod priùs cognoscitur, quàm ducat in cognitionem alterius, vt imago.

Cæsaris.

Queritur tertio, quid sit in re illa, quæ dicitur signum, ratio illa signi; quid v. g. in voce, *homo*, sit, quod illa significet animal rationale. Volunt enim aliqui, eam esse realem relationem: alij formam intrinsecam, & realem existentem in ipsa voce: alij relationem solummodò rationis.

Quid sit ratio  
signi in  
re ipsa sig-  
nificante.

Resp. distinguendum esse; si enim signum sit naturale, ratio illa signi est relatio aliqua realis signi ad rem significatam; nullum enim signum est naturale, quod vel transcendentaliter non dicat respectum, vt species referuntur ad obiecta: signa verò quædam instrumentalia, vt imago Cæsaris, relationem habent categoricam primi generis, fundatam in similitudine secundum externam figuram, vt fumus habet relationem effectus ad causam: si verò signum sit ad placitum, v. g. ratio illa in actu primo, seu prout habet vim significandi, est denominatio solùm extrinseca à voluntate imponentis, tanquam à forma extrinseca: si autem sit in actu secundo, prout scilicet ingerit actu cognitionem rei significatæ, denunciatio est extrinseca à productione cognitionis ad præsentiam talis signi, v. g. vocis; sicque significari in actu primo ad placitum, est esse deputatum ad representandum aliud; significari in actu secundo, est ex tali deputatione actu aliquid exprimere potentia cognoscenti. Quia

D 4 scilicet



scilicet extrinseca deputatio nihil intrinsecum imprimit, sed extrinsecè tantum denominat: v. g. vox illa, *homo*, si deputata esset ad significandum naturam equinam, haberet omnia intrinseca, quæ nunc habet; sed tantum haberet aliam denominationem extrinsecam à voluntate deputante: ergo voluntas illa hominum tota est forma denominans signum.

Obiectio.

Dices. Voluntas illa hominum, quæ deputat hanc vocem, *homo*, ad significandam naturam humanam; hæc, inquam, voluntas non habet pro obiecto seipsam: illa voluntas habet pro obiecto significationem: ergo significatio in actu primo non est voluntas hominum. Imò ab illis qui percipiunt significationem alicuius vocis, voluntas illa non percipitur: ergo illa non est ratio formalis ipsius significationis, alioqui deberet voluntas illa percipi ab eo qui cognoscit significationem; sicut is qui videt album, videt necessariò albedinem.

Resp. distinguendo primam minorem: hæc voluntas pro suo obiecto habet significationem in actu secundo, concedo; in actu primo, nego: voluntas enim hominum decernit, ut illi qui audient hanc v. g. vocem, *homo*, actu cognoscant naturam humanam. Deinde concedo illud antecedens: ab illis qui percipiunt significationem alicuius vocis, non percipitur hæc voluntas; sed nego hanc consequentiam: ergo illa voluntas non est formalis ratio significationis. Nam quamvis ab eo qui percipit significationem formaliter ut significatio est, idest, qui cognoscit significationem in actu primo, cognoscatur voluntas illa hominum; ab eo tamen qui solum cognoscit significationem materialiter, & in actu secundo, non necessariò percipitur illa voluntas hominum: sicut qui videt album formaliter, videt necessariò albedinem; potest tamen aliquis cognoscere id quod est album, v. g. parietem, & non cognoscere albedinem.

Voces significare ad placitum.

Queritur utrùm voces significant ad placitum, an verò naturaliter.

Resp. distinguendo; voces enim articulatae primitivæ non significant naturaliter, sed ad placitum; voces autem derivatae significant quodammodo naturaliter. Immeritò videlicet Plato & Pythagoras contendunt, voces signa esse naturalia, ideòque sapientum solummodo esse imponere rebus nomina, quæ non ipsi effingant, sed tantum excipiant ex ipso naturæ sinu effluentia: quæ quidem tranquille ac puræ mentes multò illustriora & puriora exciperent, quàm inquinata, ac perturbata. Imò alia esse apud homines, alia apud Deos. Verùm solemnia hæc sunt Platonis vigilantis somnia. Melius Aristoteles voces articulatas primitivas docet signa esse solum ex instituto; signa enim naturalia significant apud omnes gentes omninò idem; voces autem apud diversas gentes diversæ sunt. Dixi *voces articulatas*; dubium enim non est, quin multæ voces inarticulate naturaliter significant, ut gemitus signum est doloris. Dixi deinde *voces primitivas*, quia voces derivatae à primitivis naturaliter habent affinitatem cum significatione primitivi; ut iustus à iustitia deducitur, & iustitiam ipsam significat, licet ab hominum etiam institutione pendeat.

Prima obiectio.

Dices primò, conceptus omnis naturaliter significat: omnis vox significat conceptum: ergo quilibet vox significat naturaliter.

Resp. argumentum illud non esse in forma, cuius proinde negatur consequentia. Deceptio in eo est, quòd in minori deberet esse, *omnis vox est*

*conceptus*; non autem, *omnis vox significat conceptum*: ubi sunt quatuor termini.

Dices secundò. Sermo naturalis est homini: ergo voces significant naturaliter. Notum est quoque, illud quod narratur de Atthie Croesi filio, qui mutus & surdus cum esset, videns tamen confodi patrem suum, erupit in voces articulatas.

Resp. distinguendo primum antecedens; si enim significet, quod voces quibus utimur, significant naturaliter, nego sermonem in eo sensu esse naturalem homini: si autem significet, quod homo habet à natura facultatem loquendi articulata, concedo sermonem esse in eo sensu naturalem homini. Filius Croesi Regis, haud dubiè surdus non fuit à natiuitate, sed totum impedimentum loquendi fuit illi duntaxat in lingua. Quod item narratur de pueris quibuldam, Phammerici Regis iussu educatis inter pecudes, ne vllam vocem audirent; loquutis tamen postmodum articulata. Solutur, si dicas, vel fuisse dæmonis præstigias, vel certè illos articulata non fuisse loquutos, sed sonum ab illis confusè duntaxat editum, Phryges ambitiosè interpretatos fuisse.

Dices tertio. Nomina quædam per incantationes vim habere quandam mirabilem ad sanandos morbos, vel ad noxas alias depellendas: unde volebant Platonici, nomina propria radios esse rerum quas significant: & in ipsis nominibus vitam quandam latere.

Resp. cum Deltio lib. 1. de magia, cap. 4. quæst. 1. Tertia obiectio. Vallesio cap. 4. sacra Philosophia, nulla vocabula vim habere naturalem vulnera, vel morbos sanandi, vel noxas alias depellendi, siue sint complexa, siue incomplexa; quia nihil habent præter sonum, & significationem omninò ad placitum, cui nulla plane vis inesse potest ad effectus illos mirabiles, nisi dæmonis ope interveniente, qui in huiusmodi curationibus extraordinariis esse solet Archiater.

Resp. cum Deltio lib. 1. de magia, cap. 4. quæst. 1. Tertia obiectio.

Queritur utrùm voces significant ad placitum, an verò naturaliter.

Queritur quintò, utrùm voces primariò & immediatè significant conceptus formales, idest cognitiones internas animi; an verò conceptus obiectivos, idest obiecta cognitionum.

Resp. aliud esse significare aliquid, aliud substitui pro eo: significare aliquid, est efficere, ut illud cognoscatur: pro eo substitui, est facere id quod alterum deberet facere. Dico igitur vocem primariò & immediatè significare solum conceptus obiectivos, conceptus autem formales non significari primariò per vocem, sed tantum vocem pro illis substitui. Ratio est, quia, ut dixi, significare non est aliud quàm facere ut aliquid cognoscatur: sed per voces non devenimus in cognitionem conceptuum, qui nobis semper ignoti manent. Cum audit v. g. rusticus à Doctore Deum esse Trinum, nullam cogitat cognitionem Doctoris, sed solum Trinitatem personarum divinarum; ignorat enim quid sit loquutio interna: ergo vox immediatè significat rem à loquente cognitam, & ad illud etiam solum munus instituta sunt voces; vox enim *cælum*, est instituta ut significet cælum, non ut significet cognitionem cæli. Imò certum est, inuentas esse voces, ut præstent illud idem audienti, quod præstant loquenti verbum ipsum internum; sicut enim per verbum internum homo sibi loquitur, sic loquitur aliis per externum. Sed verbum ipsi loquenti significat immediatè ipsas res cognitatas: ergo verbum externum eandem significat audienti: per accidens autem, & ex voluntate audientis cognitionem ipsam significat, si velit discurre circa vocem quæ necessariò esse debet iuncta

Voces immediate significant conceptus obiectivos.







enius evidentiam nulla vocum significatio assequi potest. Ideo Beatus Deus explicare tam perfectè non potest, quàm perfectè cognoscit; imò nec viatores: vnde dixit verissime August. lib. 6. de Trinit. cap. 4. Verius cogitatur Deus, quàm dicitur; & verius est, quàm cogitatur.

Quæritur octauo, quid sit nomen: quid verbum.

Definitio  
nominis.

Resp. nomen vulgò definiri, *Est vox significatiua sine tempore, finita & recta, cuius nulla separata pars idem significat*, vt *Homo, Angelus*. Significat ad plurius, vt satis patet ex dictis de voce. Significat sine tempore, quia præter principale significatum non denotat tempus præsens, præteritum, aut futurum, quæ vocantur primariæ temporis differentia; prandium enim v. g. & cena præter significatum principale significant quidem aliquod tempus, sed non illas, vt dixi, temporis differentias. Tempus, hora & mensis significant sine dubio aliquod tempus; sed tanquam primarium significatum, non tanquam significatum secundarium. Nulla pars nominis separatim sumpta idem significat, vt *Respublica, Proconsul*; cuius partes se iunctæ non idem significant, quod prius. Imò in vocibus nonnullis, vt *Armiger, Deipara, Agricola*, vbi partes videntur idem significare separatæ, verum etiam est quod dixi, quia illorum nominum partes separatæ significant quidem aliquid prout sunt integræ dictiones, sed non significant idem prout sunt partes vnius vocis compositæ, sed sunt instar syllabarum, quæ significationem propriam non habet. Dicitur denique *finita*, & *recta*. Vox finita illa est, cui nulla negatio præfigitur; infinita, cui præfigitur negatio efficiens vnam vocem, vt *non-homo, non-lapis*. Voces infinitas negat Philosophus esse nomina. *Recta* vox dicitur, quæ casus est nominatiui, voces etiam casuum obliquorum negat idem Philosophus esse nomina, quia cum verbo, *est*, non possunt absolute enunciationem.

Definitio  
verbi.

Verbum definitur, *Vox significatiua cum tempore, finita & recta, cuius nulla pars significat separata, & est semper eorum, quæ de aliquo dicuntur nota*. Patet definitio ferè tota ex præcedenti. Dicitur autem *nota eorum, quæ de aliquo dicuntur*, quia semper aptum est verbum affirmare aliquid de aliquo, vel negare, idest copulare prædicatum cum subiecto.

Verbum aliud est substantiuum, vt *sum, existo, subsisto*; aliud adiectiuum, quod significat actionem, aut passionem, aut aliquod accidens, vt *ago, capio*. In propositionibus æternæ veritatis, qualis ista est, *Homo est rationalis*, verbum *est*, significat omne tempus, etiam si non significet existentiam, sed solam identitatem subiecti & prædicati.

### §. III.

*Quenam sit pars formalis Enunciationis.*

IN qualibet oratione mentali reperitur haud dubiè conceptus subiecti, prædicati, & copulæ; sicut in oratione vocali reperiuntur subiectum, prædicatum, & copula. Sed difficultas est primò, vtrum per vnicam simplicem apprehensionem tria illa cognosci possint. Secundò, vtrum actus ipse iudicij, actus sit distinctus ab apprehensione subiecti, prædicati, & copulæ. Tertiò, vtrum actus ille iudicij formaliter, & quidditatiuè sumptus vnus sit actus, an verò multiplex.

Duplex ad  
enunciatio-  
nem requi-  
ritur apprehensio.

Dico tertiò. Quoties sit enunciatio vera & formalis, quæ identica tantum non sit, saltem duplex exigitur apprehensio, vna prædicati, & altera

subiecti: neque vnica sufficit simplex apprehensio subiecti, prædicati, & copulæ.

Ratio est, quia in omni enunciatione, quæ identica non est, subiectum, prædicatum, & copula differunt conceptu: sed si cognoscantur eadem simplici apprehensione, non differunt conceptu: ergo prædicatum, & subiectum cognosci debent per diuersos conceptus. Deinde in enunciativa videtur illud adhuc esse manifestius, quia in illa cognitio separat prædicatum à subiecto, & concipit plura vt plura: sed vno conceptu concipi non possunt plura vt plura: ergo in enunciatione, saltem negatiua, plures debent esse conceptus.

Obicitur primò. Potest intellectus concipere simul plura per modum vnius, idest, vno conceptu, v. g. vnico conceptu paries albus à nobis concipitur, & totus terminus complexus, in quo plura necessariò inuoluuntur: sed extrema propositionis, præsertim si affirmatiua sit, se habent per modum vnius: ergo intellectus potest per modum vnius illa concipere.

Resp. distinguendo maiorem: intellectus concipere potest plura per modum vnius, quando illa rationem habent vnius, idest, quando illa concipiuntur sub vna ratione formali, concedo; quando illa rationem non habent vnius, sed concipiuntur sub diuersa ratione formali, nego. Itaque negatur minor, quia cum extrema propositionis, vt dixi, concipiuntur sub diuersa ratione formali, vt propositio non sit identica, necesse est, vt per diuersos conceptus concipiuntur.

Neque dicas primò. Extrema propositionis affirmatiua non concipiuntur vt plura, alioqui diuiderentur; sed cum vniantur debent concipi vt vnum.

Resp. enim distinguendo: non concipiuntur vt plura realiter, concedo; non concipiuntur vt plura formaliter, saltem in actu exercitio, nego, alioqui enunciatio esset identica.

Neque dicas secundò. Sicut in termino complexo substantiuum & adiectiuum se habent per modum vnius, & vno conceptu concipiuntur, sic prædicatum & subiectum se habent per modum vnius.

Resp. esse disparitatem, quia in termino complexo, substantiuum & adiectiuum non differunt conceptu, cum non sint diuersa formaliter: extrema verò enunciationis formalis sunt diuersa formaliter.

Obicitur secundò. Copula enunciationis non cognoscitur per actum distinctum à conceptu prædicati & subiecti: ergo prædicatum etiam & subiectum possunt concipi vno conceptu.

Resp. negando antecedens, quia conceptus copulæ, vel est prima tantum apprehensio, & sic distinguitur à conceptu prædicati, & subiecti, sicut vnio ab extremis; potest enim conceptus subiecti & prædicati esse sine conceptu copulæ; neque maior esset ratio, cur esset conceptus prædicati potius, quàm subiecti: vel est iudicium, & sic distinguitur necessariò à conceptu prædicati & subiecti, qui simplex est apprehensio. Copula ergo per modum vnionis semper distinguitur ab extremis.

Dico quartò. Actus ipse iudicij necessariò est distinctus à conceptu prædicati & subiecti; non est autem necessariò actus distinctus ab apprehensione copulæ, contra Vasquem 1. part. disp. 223. cap. 3. & alios quosdam, qui negant, interuenire in enunciatione actum vllum iudicij distinctum ab apprehensione duplici prædicati & subiecti; volunt enim iudicium esse conceptum prædicati, & conceptum

Actus iudicij distinctus est à conceptu prædicati & subiecti.

Prima obiectio.

Secunda obiectio.



ceptum subiecti, quibus extrema ipsa concipiuntur relatè, vt vnum alteri conueniens; quæ conuenientia in enunciatione vocali denotetur per particulam, est; ita tamen vt nullus peculiaris conceptus in intellectu correspondeat ipsi copulæ. Contra quos tamen.

Probatio.

Ratio est, quia iudicium formaliter, vt est secunda mentis operatio, distinguitur essentialiter à prima operatione: ergo non est duplex tantum apprehensio. Deinde si enunciatio non includeret nisi duos conceptus, vbicunque duplex esset conceptus prædicati & subiecti, esset ibi iudicium, & secunda mentis operatio: sed possunt reperiri conceptus prædicati, & conceptus subiecti; si enim cogitem lac, & dulcedidem, non propterea iudico & affirmo lac esse dulce: ergo iudicium est conceptus distinctus ab apprehensione simplici subiecti & prædicati.

Ratio.

Neque dicas: si conceptus prædicati sit relatio ad subiectum, bene intelligitur quomodo vnum alteri tribuatur: ergo sufficere possunt duo conceptus.

Contrà enim insto. Prædicatum concipi potest sine ordine ad subiectum: ergo vt prædicatum concipiatur cum tali ordine, requiritur necessariò nouus conceptus: ergo semper in enunciatione sunt tres conceptus.

In enunciatione non vniuntur conceptus.

Probatio primæ partis.

Dico quintò. Actus iudicij non est actus intellectus, quo physice vniuntur conceptus prædicati, & subiecti; neque actus aliquis simplex, & indiuisibilis, representans prædicatū, subiectum, & copulam.

Prima pars contra Molinam 1. p. q. 1. art. 3. disp. 1. probatur, quia duæ qualitates completæ diuersæ speciei non possunt vniri, & facere vnum per se: sed conceptus prædicati & subiecti, qualitates sunt diuersæ speciei: ergo illi non possunt physice vniri, & facere vnum per se. Deinde omnis vnio accidentium necessariò intensio est, vel extensio: vnio illa duorum conceptuum non esset intensio, vt patet, quæ fit per additionem graduum eiusdem speciei; nec esset extensio, quæ fit in diuersis partibus subiecti. Denique in enunciatione negatiua patet quod vnio non est conceptuum, sed potius diuisio.

Probatio secundæ partis.

Secunda pars contra plures sentientes cum Hurtado, quod iudicium actus sit simplex & indiuisibilis, representans subiectum, prædicatum & copulam; probatur, quia si huiusmodi actus esset iudicium, frustra esset in enunciatione simplex apprehensio, à qua non penderet in conseruari enunciatio. Imò, vt nuper argumentabar, prædicatum, & subiectum non differrent conceptu.

Triplex obiectio.

Obiicitur. Omnis compositio est vnio plurium: enunciatio qualibet compositio est conceptuum, licet affirmatio sola sit compositio rerum: ergo enunciatio est vnio conceptuum. Imò ex S. Thoma, potentia superior vnit ea quæ in potentiis inferioribus sunt dispersa: ergo secunda operatio vnit id, quod per plures primas apprehensiones fuerat conceptum; sicut enim phantasia potest obicere sibi montem aureum, postquam vidit oculus montem & aurum; ita postquam prima operatione intellectus apprehendit prædicatum & subiectum, potest illa vnire per secundam operationem. Denique si in enunciatione tres sunt conceptus, non est maior ratio, cur vnum extremum sit subiectum, alterum vero sit prædicatum; sicque cum dicitur, *Omnis homo est animal*; simul etiam dices, *Omne animal est homo*; & ita nulla erit propositio vera, quæ non sit etiam falsa.

Resp. aliam esse compositionem realem, qualis est inter materiam & formam; aliam compositionem ordinis, id est habitudinis vnus ad alium. Prima compositio non reperitur in enunciatione, sed

A secunda duntaxat, eo ferè modo, quo vnus dicitur esse mundus propter ordinem rei vnus ad aliam. Ita in enunciatione non concipitur duntaxat prædicatum & subiectum, sed prædicatum in ordine ad subiectum, & subiectum in ordine ad prædicatum. Itaque distinguitur hæc propositio: omnis enunciatio est compositio faciens vnitatem realem, nego; faciens vnitatem ordinis, concedo. Compositio realem efficiens vnitatem, est vnio; compositio vero faciens vnitatem ordinis, non est vnio. Deinde fa-teor, potentiam superiorem, v. g. intellectem, ea vnire quæ in potentiis inferioribus sunt dispersa; sed nego eum hoc posse facere per secundam operationem, quæ includit essentialiter plures conceptus.

B Denique in enunciatione tres necessariò sunt conceptus; sed ita ordinati, vt vnus sit necessariò subiectum, alter necessariò prædicatum, alter copula vtriusque; ideo nego non esse maiorem rationem cur prædicatum in ea sit prædicatum, quam subiectum.

Dico sextò. Enunciatio, seu iudicium essentialiter & in recto solus est conceptus copulæ, provt connotat in obliquo conceptum prædicati, & subiecti: non est autem essentialiter triplex conceptus, sicque iudicium simplex est qualitas, sumptum secundum ea duntaxat, quæ dicit in recto, & essentialiter: est autem aliquod compositum, si sumatur secundum ea, quæ dicitur in recto, & essentialiter; tum in obliquo, & connotatiue. Ita docent Durandus, Gabriel, & Gregorius.

Enunciatio in recto est simplex qualitas.

C Ratio est, quia secunda operatio esse necessariò debet aliquid per se vnum, quod poni possit in categoria: sed si tres includeret conceptus essentialiter & in recto, non esset ens per se, neque poni posset in categoria: ergo secunda operatio non est in recto, & essentialiter triplex conceptus, sed solus conceptus copulæ. Deinde per illud secunda operatio constituitur in recto, & essentialiter, per quod solum distinguitur ab alia qualibet operatione mentis: sed per solum conceptum copulæ distinguitur; prima enim, quæ simplex apprehensio est; differt à secunda operatione ex eo, quod secunda iudicet vnum conuenire alteri; quod facit conceptus copulæ: à tertia vero differt eo, quod tertia iudicet vnum conuenire alteri dependenter à præmissis, id est inferendo vnum ex alio; enunciatio autem absolute iudicet, sine vlla illatione, aut dependentia à præmissis.

Probatio.

Obiicitur primò. Si enunciatio solum dicit conceptum copulæ, sequitur quod secunda operatio non differt à prima; conceptus enim ille copulæ, cum sit simplex, non differt ab apprehensione simplici.

Prima obiectio.

Resp. enunciationem nullo modo esse primam tantum apprehensionem, etiam secundum id quod dicit in recto; conceptus enim copulæ non est prima solum apprehensio, quia iudicium est, & includit saltem connotatiue alios duos conceptus: neutrum autem habet secunda mentis operatio.

E Obiicitur secundò. Enunciatio vocalis essentialiter & intrinsecè duo includit extrema, & copulam; ergo enunciatio mentalis includit etiam tres eorum conceptus.

Secunda obiectio.

Resp. negando antecedens; sicut enim enunciatio mentalis in recto solus est conceptus copulæ, provt connotat conceptus extremorum; sic enunciatio vocalis in recto sola est copula, provt connotat prædicatum & subiectum.

Obiicitur tertio. Nulla igitur in secunda mentis operatione reperitur compositio, cum essentialiter sit qualitas simplex; & tamen secunda operatio vocari solet ab omnibus compositio.

Tertia obiectio.

Resp.



Resp. reperiri semper in quolibet iudicio enunciationis aliquam compositionem, in eo duratam consistentem, quod includat, saltem in obliquo, duplicem primam apprehensionem. Per hoc enim sufficienter secunda operatio distinguitur à modo intelligendi, qui proprius est & Angelis; neque alia requiritur compositio conceptuum, quam illa quæ conuenit, ut dixi, omni enunciationi, etiam negatiuæ.

Quarta obiectio de enunciatione purè apprehensiuâ.

Obiicitur quartò, posse dari veras aliquas enunciationes, in quibus nullum sit iudicium, sed quæ sint solum apprehensiuæ, ut cum Catholicus voce tantum tenus dicit, *Deus est ens finitum*: ibi non est ullum iudicium; & tamen vera est enunciatio: nam ubicumque affirmatio est, ibi est secunda operatio: ibi vera est affirmatio: ergo est secunda mentis operatio: ergo enunciatio non est essentialiter iudicium & conceptus copulæ. Confirmatur, quia nullus est syllogismus sine vera enunciatione: sed in syllogismo sæpe ponuntur propositiones, quæ iudicantur falsæ: ergo propositiones, quæ falsæ iudicantur, sunt secundæ operationes. Denique nulla est enunciatio vocalis, cui non respondeat aliqua enunciatio mentalis: illa propositio, *Deus est finitum*, est propositio vocalis: ergo illi responderet enunciatio aliqua mentalis, quæ sine dubio apprehensiuâ tantum est.

Negatur illam ullam esse.

Resp. negando ullam esse posse mentalem enunciationem, quæ non sit indicatiua, sed sit apprehensiuâ tantum, ut rectè docent Valq. 1. p. disp. 223. n. 16. Suarez disp. 8. sect. 4. Fonseca, Conimbricenses, & alij contra Scotum. Ratio est, quia ubi deest essentia enunciationis, ibi non est enunciatio: cum dico, *Deus est ens finitum*, & in omni enunciatione solum apprehensiuâ tantum, deest essentia enunciationis, quia iudicium, ut dixi, est essentia enunciationis; illud autem non reperitur in enunciatione tantum apprehensiuâ: ergo huiusmodi enunciatio non est reuera enunciatio. Deinde omnis operatio, quæ vnum alteri non connectit, siue, quæ non affirmat aut negat, non est secunda, sed prima tantum operatio: enunciatio solum apprehensiuâ non connectit, neque affirmat, aut negat, nisi voce tenus: ergo illa non est enunciatio, sed simplex tantum apprehensio.

Solutio argumentorum.

Ad argumentum ergo respondeo, ibi esse veram enunciationem, ubi est affirmatio, vel negatio mentalis, id est, quæ non solum voces, sed etiam res apprehenduntur coniunctæ: ubi autem est affirmatio & negatio tantum voce tenus, id est, quæ non apprehenditur coniunctio ipsa rerum, sed vocum duntaxat, ibi nego esse veram enunciationem. In enunciatione solum apprehensiuâ voce tantum tenus, est affirmatio, vel negatio; quia res per diuersas concipiuntur apprehensiones; solæ autem concipiuntur coniunctæ. Ad confirmationem distinguo maiorem: nullus est syllogismus sine vera enunciatione, vel quæ supposita sit pro vera, concedo; siue vera enunciatione, nego. In quibusdam ponuntur falsæ propositiones, quæ tamen loco verarum ponuntur; sicut calculi sæpe ponuntur pro veris pecuniis, quia scilicet sæpe in syllogismo apparet vera forma, supposita veritate falsarum propositionum. Denique nego, quod cuilibet enunciationi vocali respondeat aliqua enunciatio mentalis; nam plerique & sapientibus Hebræicè ignari pronunciant Hebræicas propositiones, quibus certum est, quod in mente nulla responderet enunciatio Latina.

## SECTIO II.

Varia species enunciationum, earumque conditiones, ac regula, tum in genere, tum in specie.

**C**ertum est primò, enunciationem diuidi posse ratione formæ, in affirmatiuam & negatiuam. Affirmatiua est, in qua vnum alteri tribuitur: negatiua ea est, in qua vnum de altero negatur, id est, quando copulæ principali præponitur negatio; ut, *Petrus, qui est diues, non est iustus*.

Diuisio enunciationis ratione formæ.

**C**ertum secundò est, enunciationem ratione materiæ diuidi præsertim in simplicem, & coniunctam. Simplex illa dicitur, in qua vnica est copula verbalis; ut, *Homo est rationalis*: coniuncta, in qua plures sunt copulæ verbales, sed coniunctæ per aliquam particulam; ut, *Petrus est Rhetor, & est Philosophus*. Si *Socrates est constans, est laudabilis*. Possunt autem copulæ verbales connecti, vel per particulam copulatiuam, *Et*; ut, *Petrus est Rhetor & est Philosophus*: vel per particulam disiunctiuam, *vel*; ut, *Nunc dices est, vel est nox*: vel per particulam conditionalem *si*; ut, *si Socrates est constans, est laudabilis*. Solutio communiter enunciatio simplex appellari categorica; enunciatio autem coniuncta, vocari solet hypothetica. Melius tamen alij enunciationem categoricam eam esse aiunt, quæ absolute iudicat de obiecto; ut, *Homo est rationalis*: dicitur enim categorica, quasi categorematica, id est, per se aliquid significans sine vlla suppositione. Hypothetica verò dicitur illa, quæ iudicat dependenter ab aliqua suppositione; ut, *Si Petrus venerit, loquetur*. Certum autem est, quod enunciatio hypothetica in materia necessaria est illatiua; ut, *Si sol lucet, dies est*: æquiualeat enim illi, *Sol lucet: ergo dies est*. Si fuerit in materia contingenti, illatiua non est, sed tantum enunciativa; ut, *Si Petrus venerit, loquetur*: non enim licet dicere, *Petrus venit: ergo loquetur*; quia scilicet nota illationis significat consequens necessarium ex antecedente.

Prima diuisio ratione materiæ.

**D**iuiditur secundò enunciatio ratione materiæ in absolutam & modalem. Absoluta est, quæ tantum affirmat, aut negat prædicatum inesse subiecto; ut, *Petrus est homo*. Modalis est, quæ dicit modum quo prædicatum inest, aut non inest subiecto; ut, *Necessarium est hominem esse rationalem: impossibile est hominem esse brutum*. Vulgò autem dicuntur quatuor esse modi, *necessarium, impossibile, contingens, possibile*. Necessarium facit propositionem affirmatiuam vniuersalem, impossibile vniuersalem negatiuam, contingens & possibile particularem affirmatiuam. Dupliciter fit propositio modalis. Primò, quando modus sumitur aduerbialiter; ut, *Homo necessarius est animal*. Secundò, quando modus nomen est adiectiuum; ut, *Necessarium est hominem esse animal*. Quando modus est aduerbium, tunc nec est prædicatum, nec subiectum; sed tantum syncategorema subiecti, sicut *omnis*, & *nullus*. Quando autem modus est nomen, tunc est prædicatum propositionis; subiectum autè est altera propositio, cui iungitur modus, & vulgò appellatur dictum, ut in hac propositione: *Necessarium est hominem esse animal*; necessarium, est prædicatum; hominem esse animal, est subiectum.

Absoluta & modalis.

**E** Sumi verò potest propositio modalis, vel in sensu composito, vel in sensu diuiso. Sensus compositus est, quando prædicatum tribuitur subiecto pro eodem tempore; ut, *impossibile est stantem sedere*; id est dum stat. Sensus diuisus est, quando tribuitur pro diuerso tempore; ut, *Possibile est stantem sedere*; id est, tempore, quo nō stat. Possunt autè in singulis modis fieri quatuor propositiones. Primò, ut affirmetur dictum & modus, ut *Petrus currere est impossibile*. Secundò



etiam, ita ut affirmetur dictum, & negetur modus; vt, *Petrus currere non est possibile*. Tertiò, ita ut negetur dictum & modus; vt, *Petrus non currere non est possibile*. Quartò, ita ut negetur dictum, & modus affirmetur; vt, *Petrus non currere est possibile*. Solent quatuor hæ propositiones in tabellis describi, quas vocant figuras modalium. Ego rem obscuram & inutilem hîc lubens omitto.

Exponibilis, & non exponibilis.

Diuiditur tertiò enunciatio ratione materiæ in exponibilem, & non exponibilem. Exponibilis illa est, quæ particulam quandam adiunctam habet, ob quam eget explanatione: hæ autem particule sunt vel exclusivæ, v. g. *tantum*; vt, *planeta sunt tantum septem*: vel exceptivæ; vt, *omne animal præter hominem est irrationale*: vel reduplicativæ; vt, *homo quatenus homo*; est rationalis. Alias omitto diuisiones enunciationis ratione materiæ, in vnam & multiplicem, de secundo & tertio adiacente, de extremo simplici, & extremo coniuncto: sunt enim minùs difficiles, & minùs viles.

Diuisio ratione quantitatis.

Certum est tertiò, diuidi enunciationem ratione quantitatis, in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem. Vniuersalis ea est, in qua terminus communis signo vniuersali afficitur; vt, *Omnis homo est rationalis*. Particularis est, qua terminus communis signo particulari afficitur; vt, *Aliquis homo est iustus*. Indefinita est, in qua terminus communis nullo signo afficitur; vt, *Homo est rationalis*. Singularis, in qua subiectum nullo signo afficitur; vt, *Petrus est iustus*. Solùm addo, terminos vniuersales præposita negatione fieri particulares; vt, *Non omnis homo est iustus*: terminos autem particulares, præmissa negatione fieri vniuersales; vt, *Non aliquis homo*; idest, omnis homo.

Diuisio ratione quantitatis.

Certum est quartò, enunciationem ratione qualitatis diuidi in veram & falsam, de qua diuisione plenè dicam quæst. seg. vbi constabit, veras appellari propositiones, quæ sunt conformes obiecto; falsas, quæ sunt diffformes. Tantùm hîc addo, alias esse propositiones æternæ veritatis & æternæ falsitatis; alias non æternæ veritatis, nec æternæ falsitatis. Propositiones æternæ veritatis illæ sunt, quæ ita sunt veræ, vt non possint esse falsæ: æternæ falsitatis, quæ ita sunt falsæ, vt non possint esse veræ; cum sint de materia necessaria, eo quod prædicatum sit de essentia subiecti, vel de materia impossibili; vt, *Homo non est rationalis*. Aliæ verò ita sunt veræ, vt possint esse falsæ; vel ita sunt falsæ, vt possint esse veræ; vt, *Petrus est albus*.

Diuisio ratione modi prædicandi.

Certum est quintò, enunciationem ratione modi prædicandi diuidi posse in directam, in indirectam, & mixtam. Directa illa est, in qua prædicatum est id quod habet rationem formæ; vt, *Homo est rationalis*. Indirecta est, in qua prædicatum est id, quod est superius, & habet rationem formæ; vt, *Rationale est animal*. Mixta, in qua nec prædicatum, nec subiectum habet rationem formæ, sed vtrumque forma est alicuius tertij; vt, *Album est dulce*: vbi nec albedo forma est dulcedinis, nec dulcedo forma est albedinis, sed vtrique forma est eiusdem suppositi, v. g. lactis. Sic etiam dicitur de Christo Domino, *Deus est homo, homo est Deus*.

## §. II.

Conditiones, & regule enunciationum in genere.

Scilicet indicatis magis, quàm explicatis vartis speciebus enunciationum, inspiciente mihi antè omnia sunt tres regule ac conditiones generales enunciationum, ex quibus præsertim constare poterit, quod est in hac materia difficile, quomodo abstracta & concreta de se inuicem prædicentur.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A Prima itaque, & vniuersalissima regula est, quod ad omnem propositionem affirmatiuam requiritur aliqua identitas prædicati & subiecti; & ad propositionem negatiuam aliqua eorum diuersitas. In propositionibus videlicet essentialibus prædicatum & subiectum sunt idem essentialiter; vt, *Homo est animal*, suppositum videlicet, quod est homo, est animal. In accidentalibus prædicatū & subiectum sunt idem accidentaliter; vt, cum dicitur, *Paries est albus*, sensus est, idē quod est paries, est subiectū albedinis.

Identificatio subiecti & prædicati.

B Ratio est, quia in propositione affirmante, copula, est, non potest aliud significare quàm identitatem extremorum. Idque patet verum etiam esse primò in propositionibus materialibus; vt cum dicitur, *Album est dulce*; nam idēd falsa est prædicatio hæc, *Albedo est dulcedo*; quia prædicatum & subiectum non sunt idem: illa verò, *Album est dulce*, vera est; quia prædicatum & subiectum sunt idem, nempe idem lac, in quo est albedo & dulcedo; significat enim, habens albedinem est habens dulcedinem. Secundò etiam vera est regula in denominationibus extrinsecis; vt, *Paries est visus*; quia in illis etiam prædicatum continet subiectum, tanquam terminum formæ, quam explicite dicit; sensus enim est, paries est subiectum, ad quod terminatur visio. Idēd in denominationibus extrinsecis prædicatum propositionis continet subiectum, tanquam terminum formæ, quam explicite dicit; in denominationibus verò extrinsecis prædicatum continet subiectum, tanquam subiectum formæ, quam explicite significat.

C Secunda regula: In omni enunciatione recta prædicatū & subiectū debent adæquari, idest debet prædicatū continere, salte confusè, totū id, quod includit ipsum subiectum, & contrariòd pars non potest prædicari de toto; vt, *Homo est anima*, non valet: neque totū de parte; vt, *Manus est homo*. Ratio est, quia, vt dixi, prædicatū & subiectū esse debent idē; si autē vnū excedat aliud, nō erunt idē. Neque dicas primò sæpe cōtingere vt prædicatū propositionis latius pateat, quàm subiectū, vt in hac, *Petrus est homo*, sine dubio minùs latè Petrus patet, quàm homo. Respondit prædicatū propositionis semper limitari per ipsum subiectū, idēdque non sumitur vnquā in suppositione vniuersali, sed in suppositione confusa. Neque dicas secundò, si dicatur, *Rationale est homo*, tunc rationale non significat totū hominem. Hoc enim nego, quia concretum significat formā & subiectū; sensus enim est, habēs rationalitatē est habēs humanitatē.

Prædicatū & subiectū debent adæquari.

D Tertia regula est: Quoties prædicatū, vel subiectum propositionis est nomen aliquod abstractū, tunc copula, est, non significat solā identitatem realem, sed etiā identitatem formale. Quoties autem prædicatū & subiectū nomina sunt concreta, copula, est, solam significat identitatem realem. Ratio est, quia nomen abstractum non significat nisi formam, nomen verò concretum, formam significat in subiecto: ergo abstractum significat necessariò formaliter: concretum verò non significat necessariò formaliter.

Significatio concreti & abstracti.

E His ita suppositis, facilius erit statuere quomodo concreta de se inuicē, & de abstractis possint prædicari, & vicissim abstracta de cōcretis, & de se inuicē.

Dico primò, concreta verè posse prædicari de concretis, modò sint aliquò modo eadem, v. g. *Homo est rationalis*: *Album est dulce*.

Concreta de se inuicem.

Ratio est, quia quoties concretum de concreto prædicatur, significatur duntaxat quod prædicatum & subiectum realiter vnum sint: sunt autem eadē realiter: ergo illa verè possunt prædicari de se inuicem.

Dico secundo, abstracta nunquā prædicari de concretis, nisi sint transcendentiā, vel aliquid increatum.

Abstracta de concretis.

Ratio est, quia prædicatio etiam identice falsa est, quando



quando prædicatum & subiectum non sunt idem realiter: sed quoties abstractum prædicatur de concreto, prædicatum & subiectum realiter non sunt idem, quia concretum substantiale, v. g. *homo*, dicit suppositum distinctum realiter à forma, quam solam significat abstractum, v. g. *rationalitas*: concretum verò accidentale significat subiectum, quod non significatur per abstractum; vt, *Paries est albedo*: ergo abstractum non prædicatur de concreto, vel substantiali, vel accidentali.

Concreta  
transcenden-  
tia & increa-  
ta excipiun-  
tur.

Excipiebam tamen primò abstracta & concreta transcendentia, qualia sunt entitas, vnitas, bonitas; licet enim dicere, *Ens est entitas*: *Petrus est vnitas*, &c. quia scilicet in illis concreta non continent aliquid distinctum realiter aut formaliter ab abstractis. Secundò excipiebam abstracta & concreta significantia diuinum aliquod attributum; nam etiam in diuinis veræ sunt huiusmodi prædicationes, *Deus est Deus*: *Deus est misericordia*: *Misericordia est Deus*.

Concreta de  
abstractis.

Dico tertio. Concreta substantiua non prædicantur de abstractis, v. g. non valet hæc prædicationis, *Rationalitas est homo*. Concreta verò adiectiua prædicantur de abstractis, quorum subiecta sunt; vt, *Humanitas est rationalis*: non possunt autem de aliis prædicari; vt, *Albedo est colorata*.

Ratio est, quia, vt dixi, concreta substantiua includunt aliquid distinctum ab abstractis: ergo non possunt de illis prædicari, v. g. vitiosa illa est, *Humanitas est animal*: semper verò excipienda sunt prædicata, tum transcendentia, tum increata.

Concretum autem adiectiuum nihil prorsus includit, quod non includat abstractum nomen, quod est eius subiectum, v. g. cum dicitur, *Humanitas est rationalis*; terminus *rationalis*, non includit aliquid, quod sit distinctum ab humanitate: ergo concretum adiectiuum verè prædicatur de abstracto, quod est eius subiectum. De aliis autem abstractis prædicari non potest concretum adiectiuum, ob ratonem contrariam.

Triplex ob-  
iectio.

Obiicitur primò. Verè dicitur, *Humanitas est species*: *Animalitas est genus*: sed genus & species concretæ sunt ex natura & abstractione: ergo concreta possunt prædicari de abstractis.

Resp. loquutiones illas rigorosè loquendo esse falsas, quia si essent veræ, humanitas prædicari posset de Petro, Paulo, &c.

Obiicitur secundò. Hæc propositio est vera, *Rationalitas est proprietas hominis*; conuenit enim vni, omni, & semper. Imò communiter dicitur, rationalitatem esse hominis differentiam.

Resp. illas etiam propositiones rigorosè loquendo esse falsas, si proprietas & differentia sumantur in concreto; si autem sumantur in abstracto, veræ sunt, vt statim dicam.

Obiicitur tertio. Verum est dicere, *Specieitas est species ad hanc & illam specieitatem*: ergo concretum prædicatur de abstracto.

Resp. negando conseq. quia specieitas hîc sumitur vt totum concretum ex natura, & abstractione; sicut humanitas est concretum respectu illius, & illius humanitatis.

Abstracta  
de abstra-  
ctis.

Dico quarto. Abstracta metaphysica, siue superiora sunt, siue inferiora, non possunt prædicari de abstractis diuersi nominis & definitionis: v. g. dicere non licet, *Humanitas est animalitas*: *Rationalitas est animalitas*; contra Suarezem disp. 6. sect. 10. Valq. 1. part. disp. 13. cap. 1. Hurtadum disp. 3. Log. sect. 3. Auerisam quest. 2. sect. 4. qui censent abstracta superiora prædicari posse de inferioribus, saltem specificis; bonam v. g. esse hanc prædicationem, *Humanitas est animalitas*. Contra quos

A Ratio sap. è indicata est, quia tunc vnum prædicari non potest formaliter de alio, quando formaliter & adæquatè non est vnum cum illo: abstracta metaphysica non sunt formaliter, & adæquatè inter se idem, alioqui non essent abstracta: v. g. animalitas non est adæquatè idem quod humanitas; non enim includit id totum, quod includit humanitas: ergo non potest abstractum prædicari de abstracto diuersi nominis, & rationis. Maior patet, quia idè falsum est dicere, *Homo est anima*, quia homo non solam includit animam. Sic cum humanitas non solam dicat animalitatem, falsum est dicere, *Humanitas est animalitas*; & certum est, quod pars nunquam prædicari potest de toto, hîc autem abstractum superius, v. g. animalitas, pars est humanitatis, quæ abstractum est specificum.

B Obiicitur primò. Vera est illa prædicationis, *Homo est animal*: ergo ista etiam vera est, *Humanitas est animalitas*. Obiectio triplex.

Resp. negando consequentiam; disparitas enim est, quia in concreto *animal*, suppositum includitur, atque ita totum saltem confusè significat, quod significat homo: at verò animalitas, cum abstrahat à supposito, non includit totum villo modo, quod includit humanitas. Adde quod in concretis, vt sap. dixi, propositiones non sumuntur formaliter, sed identicè tantum; in abstractis sumuntur formaliter, idè verum est dicere, *Animal est rationale*: *Rationale est animal*; non licet dicere, *Animalitas est rationalitas*, cum differant formaliter.

C Obiicitur secundò. Eo modo quo dicitur animal se habere vt totum respectu hominis, quia est totum potentiale, quamuis sit pars essentialis; sic animalitas erit respectu humanitatis totum potentiale, quamuis sit pars essentialis.

Resp. esse disparitatem, quia animal ita est totum potentiale, vt sit etiam totum essentialis confusum, idè, quia includit suppositum, alioqui prædicari non posset de homine, nisi tantum identicè; sicut etiam animalitas prædicatur identicè de humanitate.

Obiicitur tertio. Istæ prædicationes bonæ sunt, *Humanitas est natura sensitiua*, *est natura corporea*; ergo potest abstractum de abstracto prædicari.

Resp. illas prædicationes esse bonas in sensu identico, falsas in sensu formali; quamuis etiam discrimen in eo est, quod illæ includunt genus aliquod analogum & transcendens.

### §. III.

#### Regule speciales quarundam enunciationum.

P Ræter regulas illas generales, quas tradidi, quædam à Dialecticis traditæ etiam solent regulæ speciales, primò pro enunciationibus simplicibus, siue categoricis & compositis, siue hypotheticis; secundò pro absolutis & modalibus, tertio pro exponibilibus, & non exponibilibus, quas nuper definiui.

Dico primò. Pro enunciationibus categoricis veræ sunt hæc quinque regulæ. Prima. Propositio indefinita, in materia necessaria æquiualeat vniuersali; vt, *Homo est animal*. Vide nuper dicta.

E Secunda est: Propositiones contrariæ non sunt oppositæ secundum falsitatem, sed duntaxat secundum veritatem; idè, quæ licet possint esse ambæ falsæ, non possunt tamen esse ambæ veræ; v. g. ambæ istæ falsæ sunt, *Omnis homo est iustus*: *Nullus homo est iustus*; implicat autem vt veræ sint ambæ. Subcontrariæ opponuntur secundum falsitatem, non secundum veritatem; idè, esse possunt ambæ veræ, non possunt esse ambæ falsæ; vt, *Aliquis homo est iustus*, *aliquis homo non est iustus*. Contradictoriæ neque possunt esse ambæ veræ, nec ambæ falsæ; sed necesse

Regule pro  
categoricis.



# Disp. III. Quæst. II. de Verit. & Falsit. cognit. 51

neceffe est vt vna sit vera, & altera falsa; vt, *Omnis homo est iustus, aliquis homo non est iustus.*

Tertia regula est: Propositio negatiua contraria, plus negat, quam affirmet altera contradictoria affirmatiua, v. g. plus negat, *Omnis homo non est albus*; quam affirmet, *Omnis homo est albus*. Ratio est, quia vniuersalis affirmatiua solum distribuit subiectum, non autem prædicatum; negatiua prædicatum etiam distribuit.

Quarta: negatio mutat quæ sunt post se, non ea quæ sunt ante se: v. g. si dicatur, *Non omnis*, tunc signum est particulare; manet autem vniuersale, si dicatur, *Omni non*; & æquiualeat signo nullus.

Quinta regula est: Propositio negatiua in non reduplicatiua æquiualeat infinitæ, v. g. ista, *Homo non est animal*; æquiualeat isti, *Homo est non animal*. In reduplicatiua autem non æquiualeat infinitæ, v. g. hæc, *Petrus non est albus essentialiter*; non isti æquiualeat, *Petrus essentialiter est non albus*. Vt autem hoc verum sit, opus est vt modus ipse infinitetur, v. g. verum est, *Mysterium Trinitatis non est euidenter possibile*; falsum autem, *Mysterium Trinitatis euidenter est non possibile*; sed dici debet, *Mysterium Trinitatis non est euidenter possibile*.

Regula pro hypotheticis.

Dico secundò. Pro enunciationibus hypotheticis, seu compositis, hæc axiomata vera sunt. Primum. Potest conditionalis propositio esse vera, licet conditio naturaliter sit impossibilis; v. g. potest hæc esse vera, *Si digito cælum tetigeris, dabo tibi centum nummos*. Secundum est: conditionales disparatæ, v. g. hæc, *Si cras audias Missam, Petrus Roman ibit*; non sunt nisi verbo tenus conditionatæ, sed in rigore sunt copulatiuæ, ita vt sensus sit, *Cras audies Missam, & Petrus Roman ibit*, quia nihil est in antecedenti, quod habeat connexionem cum consequente. Tertium est: Enunciationes copulatiuæ & illatiuæ tunc necessariae sunt, & veræ, cum vtrique pars vera est, & necessaria; falsæ, si altera pars falsa sit, vel contingens, vt hæc vera est, *Homo est rationalis & risibilis*; falsa ista, *Homo est rationalis, & equus est risibilis*. Disiunctiua vera est, si vel vna pars vera fuerit; vt, *Vel dies est, vel nox est*. Quartum est: Conditionales veræ in materia necessaria, sunt necessariae; falsæ verò sunt impossibiles: v. g. ista est necessaria, *Si homo est rationalis, est risibilis*; ista impossibilis, *Si homo est rationalis, est lapis*. In materia verò non necessaria conditionales veræ non sunt necessariae, neque falsæ sunt impossibiles; vt, *Si cras sudum sit, equitabo*; si enim verum hoc sit, non est tamen necessarium; nec est impossibile, si sit falsum. Ratio est, quia conditionales in materia necessaria illatiuæ sunt; enunciatuæ autem duntaxat in materia non necessaria. Quintum: disiunctiua tunc est necessaria, quando vtrique pars est impossibilis, siue vtrique pars sit contingens, siue non: *Petrus stat, vel non stat*.

Regula pro modalibus.

Dico tertio. Pro enunciatione modali axiomata vera sunt. Primum. Propositiones modales habent aliquando sensum compositum, per quem scilicet prædicatum aliquod tribuitur subiecto pro eodem tempore, quo habet aliam formam impossibilem; aliquando habent sensum diuisum, per quem tribuitur prædicatum subiecto pro diuerso tempore, v. g. *Stantem sedere est impossibile: Prædestinatum damnari possibile est*. Secundum est. Omnes modales veræ sunt necessariae; omnes falsæ sunt impossibiles, v. g. *Possibile est, hominem esse album*, non est contingens sed necessarium, quia quod est possibile, necessarium est possibile; quod est contingens, necessarium est contingens. Tertium. Modalis de necesse vera est, modo eius dictum reduci possit ad propositionem.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A nem absolutam necessariam, v. g. hæc vera est, *Necesse est hominem esse animal*; quia resoluitur in illam, *Homo est animal*. Quartum. Modalis de impossibili est vera, cuius dictum resoluitur in propositionem absolutam impossibilem, v. g. hæc vera est, *Impossibile est hominem esse Angelum*, quia resoluitur in hanc impossibilem, *Homo est Angelus*. Quintum. Modales de impossibili affirmato non conuertuntur, v. g. non valet, *Impossibile est omne animal esse hominem*; ergo est impossibile omnem hominem esse animal.

Pro enunciationibus exponibilibus.

Dico quartò. Pro enunciationibus exponibilibus hæc sunt axiomata. Primum. Propositio exclusiua, in qua scilicet est particula *tantum*, vel alia æquiualeat, resolui debet in duas categoricas; vt, *Petrus tantum currit*, significat, *Petrus currit, & nemo alius currit præter ipsum*; particula enim *tantum*, vt vides, negationem importat. Secundum. In propositione exceptiua, vbi scilicet ponitur particula *præter, nisi*, aut alia similis, terminus à quo fit exceptio, debet esse terminus communis distributus, idest, supponens vniuersaliter; idem hæc non est exceptiua, *Aliquis discipulus præter Petrum studet*, sed potius exclusiua, *Non Petrus tantum studet*. Tertium est. Vt propositiones reduplicatiuæ sint contradictoriae, negatiua debet negare ipsam etiam particulam reduplicantem; vt, *Petrus in quantum homo est albus*, contradictoria est huic; *Petrus non in quantum homo est albus*. Si autem diceretur, *Petrus in quantum homo non est albus*, contraria esset primæ, & vtrique falsa. Quartum est. De essentia cuiuscunque propositionis, vt virtualiter & implicite asserat se esse veram, idest ita rem esse vt enunciat, v. g. hæc propositio, *Petrus studet*, innouit implicite aliam, *Verum est Petrum studere*. Sicque falsa est omnis propositio negans se veram esse, vt cum quis dicit, *Ego mentior*, nihil aliud dicens: vt ostendam, agens de propositionibus quæ se ipsas falsificant. Quintum est. Pactum non potest procedere de propositione quæ sit destructiua pacti, alioqui obligaretur aliquis ad impossibile; dicat v. g. Deus, *Dabo tibi gratiam ex suppositione, quod dicas verum*; ego autem dicam, *Non dabis mihi gratiam*. De qua item falsitate, mox videro.

## QVÆSTIO II.

De veritate & falsitate, prout est proprietates enunciationis.

Veritas primum hominis bonum, & primarij Solis, teste Nazianzeno, in creaturis spiritualibus prima participatio, radiis, que totius manifestatis Dei, exponenda hoc loco est accuratè, tanquam proprietates vera iudicij, cuius essentiam & condiciones hæcenus dixi. Cum autem duplex illa sit; transcendentalis, omnibus entibus communis; & formalis, propria cognitionis, illam dabo plenè in *Metaphys.* de ista hinc tria disputo: primò, quid sit; secundò, in quo subiecto sit, idest in quo intellectus actu sit veritas; tertio speciatim de veritate propositionum de futuro contingenti, tum absoluto, tum conditionato est inquirendum.

## SECTIO I.

Quid sit veritas & falsitas cognitionis.

Triacomplector hoc titulo: primò, vtrum veritas sit conformitas cognitionis ipsius cum re; secundò,

E a

secundò



secundò, verum conformitas illa sit aliquid intrinsecum actui: tertio, verum illa sit aliquid separabile ab actu vero.

## S. I.

*Verum veritas sit conformitas cognitionis cum obiecto.*

Assertio de ratione & structura veritatis.

Explicatio sententiae Vasquez.

Probatio assertionis.

Triplex obiectio.

**D**ico primò. Veritas formalis est conformitas cognitionis cum ipsa re, non autem conformitas ipsius conceptus obiectivi cum ipsa re; atque veritas tota est in cognitione, non in ipsa re. Ita tradit cum aliis Suarez *disp. 8. sect. 1.* contra Vasquez *1. part. disp. 76. cap. 1.* Pro cuius mente

Obserua, nomine *Veritatis*, semper intelligi conformitatem quandam, siue, ut vocat S. Thomas, *adaequationem & similitudinem conceptus cum re, ut est in se*; nomine autem falsitatis diffinitatem, & quasi dissimilitudinem conceptus cum re, ut est in se; sed terminatur utraque necessarì ad rem ut est in se; sed veritas per conformitatem, falsitas per diffinitatem. Conceptus autem vocatur vel ipsa cognitio, quæ appellatur conceptus obiectivus. Vasquez igitur censet in eo consistere veritatem, quod res in esse obiectivo sit conformis rei propterea existenti, v.g. veritas huius propositionis, *Homo est animal*, in eo consistit, quod conceptus obiectivi hominis, & animalis ita se habeant ad invicem sicuti se habent in rebus ipsis homo & animal. Suarez autem veritatem in eo ponit, quod cognitio ipsa representatiue sit talis, qualis est cognitio in se ipsa; ita ut propositio illa, *Homo est animal*, vera sit, quia de facto ita se res habet sicuti enunciat in illa propositione.

Ratio autem est, quia non potest veritas alicuius signi aliunde desumi, quam à conformitate cum re significata; nam imago Cæsaris v.g. idem est vera, quia representat Cæsarem ut est in se, non autem quod Cæsar in esse obiectivo imaginis similis sit sibi secundum rem. Similiter, propositio vocalis vera dicitur, quod similis sit rei significatæ, non quod res in esse significatæ similis sit sibi ipsi: atqui cognitio signum est rei: ergo veritas cognitionis est conformitas cum ipsa re. Adde quod vel ille conceptus obiectivus est ipsa res, & ita dici non potest conformis sibi; vel est ipsa res propterea substat cognitioni ut forma; sicque conformitas conceptus obiectivi cum re, est conformitas ipsius cognitionis cum re.

Obiicitur primò. Obiectum intellectus est verum: ergo veritas non est conformitas cognitionis, sed conformitas ipsius rei in esse cognito, cum seipsa in esse rei.

Resp. distinguendo antecedens: obiectum intellectus est verum transcendente, id est, ipsa res propterea intelligibilis, concedo; est verum formaliter sumptum, seu veritas cognitionis, nego: nam illa veritas non est obiectum intellectus, sed eius actus.

Obiicitur secundò. Illud est primariò verum, quod significatur primariò per enunciationem vocalem veram: conceptus obiectivus primariò significatur per enunciationem vocalem veram: ergo conceptus obiectivus est primariò verus.

Resp. negando maiorem; illud enim non est primariò verum quod significatur primariò per enunciationem vocalem veram, sed ille terminus est veritatis; verum enim formale ipsa est cognitio intellectus.

Obiicitur tertio. Conformitas cognitionis cum re ipsa representata non potest esse nisi conformitas in representando: sed conformitas in representando solum attenditur secundum id quod se ha-

**A**bet representatiue in intellectu: ergo tota veritas est in conceptu obiectivo intellectus.

Resp. negando minorem: sed conformitas in representando est solus conceptus obiectivus; nam est conceptus ipse formalis, propterea connotat obiectum propterea est in seipso.

Dico secundò. Veritas cognitionis rectè definitur, *Est ipsamet cognitio, propterea conformis est obiecto*, quod ita se habet, sicuti per cognitionem representatur.

Definitio veritatis.

Ratio est, quia tunc representatio aliqua vera dicitur, quando est similis rei quam exprimit: cognitio representatio est, & imago rei cognita; verbum enim mentis dicitur species expressa, eo quod expressio sit obiecti cogniti: ergo tunc vera est cognitio, quando est conformis rei quæ ita se habet sicuti representatur. Circa quam duplex superest difficultas. Prima est

## S. II.

*Quid superaddat actui vero veritas formalis.*

**I**dem est vera & conformis obiecto, quod non haberet si falsa esset, & diffinis obiecto: habetne aliquid in se ipsa intrinsecum, an verò nihil? Potest autem esse conformitas illa, primò relatio rationis, ut censet Vasquez *1. part. disp. 75. cap. 2.* secundò, relatio prædicamentalis, ut multi tenent citati à Suarez *disp. 8. sect. 2.* tertio, relatio transcendentalis, id est essentia tota cognitionis, ut contendit Hurtad. *disp. 9. sect. 3.* quarto, denominatio extrinseca, vel potius connotatio, ut docet Suarez *loco citato*.

Sensus questionis.

Dico primò. Veritas cognitionis, seu conformitas eius cum obiecto, nec est relatio rationis, nec accidens aliquod absolutum distinctum realiter à cognitione, nec relatio categorica, nec pura denominatio extrinseca.

Assertio.

Primò enim, si veritas esset relatio solum rationis, cognitio non esset nisi per fictionem intellectus; relatio enim rationis est relatio ficta per rationem: hoc autem absurdum est, quia cognitio est sine dubio vera, vel falsa, sine villo figmento rationis.

Relatio rationis.

Secundò, si veritas esset accidens aliquod absolutum realiter distinctum à cognitione, cognitio eadem omnino immutata, in se vera, esset deinde falsa. Hoc autem patet, ut statim probabo. Deinde ipsamet actus intellectus est per se representatio: ergo per suam entitatem representat obiectum sine villo accidente superaddito.

Accidens absolutum.

Tertio, si esset relatio categorica, nunquam cognitio esset vera, nisi quando terminaretur ad obiectum actu existens; relatio enim prædicamentalis terminum habet actu existentem. Deinde relatio necessarì supponit extremum utrumque sub ea ratione, sub qua illud refert, v.g. similitudo duorum parietum alborum, supponit eorum albedinem: sed veritas non supponit actum verum: ergo veritas non est relatio categorica.

Relatio categorica.

Quarto, si veritas non est pura denominatio extrinseca, eodem modo actus diceretur verus quo paries dicitur esse visus. Hoc autem falsum est; nam obiectum non eodem modo est forma extrinseca, quæ denominatur actus verus, quo visio est forma extrinseca, quæ denominatur paries visus; obiectum enim non est veritas: ergo veritas non est extrinseca denominatio. Deinde sicut actus representat obiectum per suam entitatem, non autem per entitatem obiecti; ita non est representatiue conformis obiecto per ipsum obiectum, sed per seipsum. Deinde conformitas imaginis cum obiecto est intrinseca ipsi imaginis; nam v.g. conformitas imaginis Cæsaris cum

Denominatio extrinseca.



# Disp. III. Quæst. II. de Verit. & Falsit. cognit. 53

cum Casare, est ipsa entitas imaginis: sed veritas actus est conformitas imaginis cum obiecto: ergo veritas est intrinseca ipsi actui secundum illud falsum quod dicit in recto.

*Veritas non est relatio essentialis.*  
Dico secundò. Veritas non est relatio transcendentalis ipsius actus ad obiectum, sed in recto est ipsemet actus, prout in obliquo connotat obiectum sicuti est in se. Ita docent communius Philosophi cum Suare, contra quosdam recentiores.

*Multiplex probatio.*  
Ratio autem est, quia idem actus omnino intrinsece immutatus secundum entitatem, potest de vero fieri falsus, & contrà, vt statim probabo: ergo veritas non est aliquid essentialis actui. Igitur in actu distinguui duo debent: primum est ratio imaginis, secundum ratio conformitatis. Ratio imaginis intrinseca est actui, & ab illa inseparabilis; ratio autem conformitatis separabilis est, nam mutato obiecto, immutatus actus fit conformis vel diffinis. Et probari potest à simili de bonitate, vel malitia; sicut enim veritas est conformitas actus cum obiecto, sic bonitas est conformitas actus cum ratione: bonitas autem non est aliquid essentialis actui bono: ergo veritas non est aliquid essentialis actui vero. Præterea etiam si non posset idem actus, postquam semel verus est, fieri falsus; tamen idem numero potest in primo instanti esse verus aut falsus: v. g. cum dixi, *Petrus currit*, currente Petro, actus fuit verus, & ille idem esset falsus, si Petrus non cucurrisset; idem enim actus à me produceretur currente Petro, vel non currente: ergo veritas non est essentialis actui. Neque dici potest, fore necessariò actum diuersum, Petro non currente, ab eo qui fuit productus Petro currente; sic enim sequeretur, actus incertos habere connexionem necessariam cum obiectis, & ita esse veros vt non possint esse falsi; quod absurdum est, sic enim omnis propositio esset necessaria: ergo Petrus currat, siue non currat; idem actus elici potest ab intellectu. Confirmatur, quia essentia illius actus est representare Petrum currentem; quod representare posset Petro non currente: cum enim dico, *Petrus currit*; hic actus tam representat Petrum currentem, si Petrus currat, quam si non currat.

*Prima obiectio.*  
Obiicitur primò. Per illud actus est representatiue conformis obiecto, per quod est representatio obiecti: sed actus per suam essentiam est representatio obiecti: ergo actus est conformis obiecto per suam essentiam, & per relationem transcendentalem. Probatur maior. Actus non est conformis obiecto, nisi per suam representationem: ergo per illud actus est conformis, per quod est representatio.

*Secunda obiectio.*  
Resp. distinguendo maiorem. Per illud solum actus est adequatè conformis obiecto, per quod est representatio, nego; per illud actus est inadæquatè conformis, concedo. Conformitas enim, vt patet, non est sola representatio, alioqui nulla esse posset cognitio diffinis obiecto. Est igitur representatio prout connotans obiectum eo modo, quo illud est in seipso; sic enim conformitas dicit in recto representationem, in obliquo autem connotationem obiecti, prout est in se. Vnde ad probationem patet responsio; actus enim non est adequatè conformis obiecto per solam representationem, sed per representationem cum connotatione.

Obiicitur secundò. Per illud solum actus est adequatè conformis cum obiecto, per quod solum est adequatè similitudo: sed actus essentialiter est similitudo: ergo actus est essentialiter conformis cum obiecto. Maior est euidentis, quia certum est, tria hæc esse synonyma, *Imago, Similitudo, Representatio*.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

*Prima instantia.*  
A Resp. negando, quod conformitas adequatè idem sit, quod similitudo intentionalis, alioqui, vt notabam, nulla esse posset falsa cognitio. Sicut ergo dixi, quod conformitas in recto est ipsa representatio; sic in recto est similitudo intentionalis, & est præterea connotatio; esto enim imago & representatio realis idem sit cum similitudine reali, & cum conformitate reali; imago tamen intentionalis, & conformitas non sunt adequatè idem, nisi accedat præterea connotatio.

Instabis primò. Si hoc sit, potest ergo dari similitudo aliqua diffinis, seu dissimilis obiecto; quod implicat in terminis.

*Secunda instantia.*  
B Resp. potest dari aliqua similitudo intentionalis dissimilis obiecto, concedo; similitudo realis, nego. Omnis enim cognitio similitudo est metaphoricè tantum, eo quod obiectum representet, id est præsens faciat intellectui; & si falsa sit, est dissimilis obiecto.

Instabis secundò. Actum esse verum nihil aliud est, quam actum intentionaliter obiecto assimilari; sicut imaginem Caesaris esse veram, est illam assimilari Casari. Ergo si actus per suam essentiam est similis, per suam essentiam est verus.

Resp. negando antecedens, quia veritas cognitionis præter assimilationem intentionalem includit etiam connotationem obiecti, vt est in se, neque licet argumentari à similitudine reali ad similitudinem intentionalem.

Instabis tertio. Si actus per suam essentiam non est verus, siue conformis obiecto: ergo per suam essentiam est diffinis, & falsus.

*Tertia instantia.*  
C Resp. negando consequentiam, quia in reduplicatiuis datur medium inter contradictoria; nam in reduplicatiuis positio negatiua nõ æquiualeat infinitæ.

Instabis quarto. Si verum hoc sit, sequitur veritatè non distinguui à falsitate; eadem enim entitas actus posito obiecto est veritas, & eo sublato est falsitas.

*Quarta instantia.*  
Resp. veritatem non distinguui à falsitate secundum quod dicit in recto, & intrinsece; sed secundum id quod dicit in obliquo, & connotatiue. Sicut eadem entitas albedinis comparata parieti albo est similitudo, & comparata parieti nigro, & dissimilitudo.

## §. III.

*Vtrum veritas sit aliquid separabile ab actu vero.*

*Aliquando est inseparabilis ab actu vero.*  
EX suppositione quod veritas non sit aliquid essentialis, ac intrinsecum actui vero, non est difficile statuere, quomodo sit etiam aliquid ab eo separabile, aded vt possit actus idem mentalis qui erat verus, mutato postea obiecto esse falsus.

Dico primò, veritatè nõ posse separari ab actu vero, quado eius obiectum est necessarium, vel etiã quado propositio significat determinatum aliquod tempus.

Ratio est, quia non potest amittere veritatem nisi obiecto mutato; sed si obiectum sit necessarium, est etiam immutabile: ergo si obiectum actus sit necessarium, non potest actus verus amittere veritatem. Similiter, si dicam, *Petrus currit tota hora primà*; si currit in primo instanti horæ istius, implicat vt propositio vera fiat falsa, quia obiectum eius est necessarium ex suppositione; quando autem obiectum propositionis est necessarium, tolli non potest veritas, vt dixi: ergo quando propositio significat determinatum aliquod tempus, illa ita est vera, vt non possit fieri falsa.

Dico secundò, veritatem posse separari ab actu, qui non significat determinatum aliquod tempus, v. g. propositio hæc, *Petrus sedet*, vera erit quandiu sedebit Petrus; falsa quando stabit. Contra Hurtadum, Arriagam, aliosque multos Recentiores.

E 3 Ratio



Ratio autem est, quia propositio hæc, *Christus est nasciturus*, ante quatuor annorum millia verâ erat & conformis obiecto; nunc autem falsa est, & difformis: sed illa esse potest eadem propositio: ergo quando propositio non significat determinatum aliquod tempus, veritas separari ab ea potest. Probat minor. Ibi est eadem propositio, ubi est idem prædicatum, idem subiectum, eadem copula: illa tria eadem sunt in illa propositione, *Christus est nasciturus*: ergo illa eadem est.

Prima obiectio.

Obicitur primò. Hæc propositio, *Petrus currit*, vel significat Petrum currere totâ horâ primâ, vel tantum in parte illius, vel antè, vel post; & ita semper absolute vera est, vel falsa; vel significat Petrum currere toto tempore, quo illa durat; & sic est etiam vera, vel falsa: ergo si propositio sit semel vera, non potest unquam esse falsa.

Resp. illam propositionem, *Petrus currit*, non significare vllum tempus determinatum, sed significat Petrum currere tunc cum profertur propositio, quodcumque profertur. Copula ergo, *est*, significat tempus præsens, sed indeterminatum, v. g. *Petrus currit*, significat nunc, cum profertur propositio, *Petrus currit*, non connotando tempus vllum præteritum, aut futurum, sed neque præsens determinatum.

Prima instantia.

Instabis primò. Tunc diuersa est propositio, quando significat diuersum tempus: sed hæc propositio, *Petrus currit*, quando est vera, non significat idem tempus, quod postea significat quando est falsa; significat enim tempus quo profertur: ergo diuersa est propositio.

Resp. distinguendo maiorem: tunc diuersa est propositio, quando significat determinatè diuersum tempus, concedo; quando significat indeterminatè tantum diuersum tempus, nego. Dixi autem, propositionem hæc, *Petrus currit*, quando est falsa, significare indeterminatè tantum diuersum tempus. Si ergo dicas; non potest propositio significare vllâ ratione diuersum tempus sine sui mutatione, negari debet, quia non significat tantum indeterminatè nunc, quando loquor, quocumque tandem tempore loquar.

Secunda instantia.

Instabis secundò. Illud *nunc*, cum loquor, vel significat tempus totum, quo loquor; & sic propositio illa semper est falsa, & est semper vera, quia verè in parte temporis quo loquor, Petrus currit: ergo illa propositio est semper vera, vel semper falsa.

Resp. illud *nunc*, neque significare partem temporis, quo loquor, neque totum tempus; sed indeterminatè tempus, quo loquor, abstrahendo ab eo quod illud sit totum, vel pars.

Tertia instantia.

Instabis tertio. Si hæc propositio, *Petrus currit*, significat Petrum currere in aliquo determinato tempore: ergo est vera, modò Petrus aliquando currat; sicut hæc propositio, *Aliquis homo currit*, est vera, modò currat vel vnus homo.

Resp. hanc propositionem, *Petrus currit*, cum sit in materia contingenti, æquiuale quidem illi particulari, *Petrus currit in aliquo tempore*, modò addatur in aliquo tempore præsentis, quo profertur propositio, quodcumque tandem illud sit; idè non est paritas alterius propositionis, *Aliquis homo currit*; ubi significatur homo indeterminatè sine vllò addito.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò. Si propositio illa, quæ nunc est vera, potest fieri falsa: ergo verum est dicere, quod nunc Deus non scit omnia, quæ fiunt; dicebat enim heri Petrum sedere, quod nunc est falsum.

A Resp. cum S. Thoma 1. part. quest. 15. art. 15. ad 3. hanc propositionem, *Deus scit quæcumque fiunt*, esse veram, si referatur ad diuinum actum planè immutabilem; esse falsam, si referatur ad enunciablem. Idèst, Deus eundem omnino actum habet, quem antè habuit, & idem scit quod sciebat, quia sciebat tantum propositionem hæc esse veram pro tali tempore, falsam pro alio. Si verò scientia illa Dei referatur ad ipsas res, non scit nunc esse verum id, quod heri sciebat esse verum; quia heri erat verum, & hodie non est verum. Et ita scit Deus idem quod sciebat heri, licet veritas propositionis obiectiue mutetur.

## SECTIO II.

B Quanam operatio mentis habeat veritatem, vel falsitatem.

E xplicata quidditate veritatis, sequitur eius subiectum, circa quod certum est, primò enunciationem esse posse veram, vel falsam, quia iudicium aliquando est conforme obiecto, aliquando difforme; quamuis enim iudicium sit imago obiecti, non est tamen semper imago conformis, & similitudo similis, vt exposui nuper.

In secunda operatione veritas est & falsitas.

Certum est secundò, iudicium etiam practicum, v. g. illud, *Virtus est amabilis*, esse posse verum, & falsum; quia scientiæ practiciæ, vt Logica & Moralis, versantur circa iudicia vera; versantur autem circa iudicia practica. Imò iudicium practicum non minùs est conforme obiecto, quàm iudicium speculatiuum: ergo non est minùs verum. Neque obstat, quod res cognita debet esse mensura cognitionis veræ; nam, vt ait Philosophus, ab eo quod res est, vel non est, cognitio dicitur vera, vel falsa. Cognitio autem non mensuratur per obiectum, sed mensura potius est sui obiecti; nam v. g. idè res artefacta est vera, quia est conformis notitiæ practiciæ artis, siue notitiæ artificis. Non obstat, inquam, quia cognitio practica considerari potest in ordine ad obiectum, vel in ratione cognitionis, & sic mensurat obiectum; vel in ratione causæ exemplaris, & sic mensuratur ab obiecto, vt dicam alibi.

Etiam in iudicio practico.

D His positis, duplex esse potest difficultas. Primò de simplici apprehensione, vtrum illa esse possit vera & falsa. Secundò de propositionibus quibusdam reflexiuis, quæ dicuntur insolubiles, & semetipsas falsificantes.

### §. II.

Vtrum in prima operatione sit veritas & falsitas.

E Ico primò. In prima operatione reperitur veritas, saltem incomplexa & imperfecta: contra Durandum in primum dist. 16. quest. 5. Valsquem 1. part. dist. 75. & plures Thomistas, contra quos priusquam probem id quod asserui.

Assertio prima de veritate.

Obserua veritatem cognitionis, aliam esse posse incomplexam, aliam complexam, incomplexa est conformitas simplicis cognitionis cum ipsa re; quæ sanè minùs propriè appellatur veritas, eo quod per eam non affirmetur aut negetur aliquid esse verum aut falsum, neque per oppositam falsitatem dicamur falli aut fallere. Complexa est iudicium de conuenientia, vel disconuenientia rei, quæ propriè appellatur veritas, eo quod per eam affirmemus, aut negemus, sitque opposita ei falsitas,

Veritas complexa & incomplexa.



# Disp. III. Quæst. II. de Verit. & Falsit. cognit. 55

tas, per quam dicimur falli, aut fallere; & in eo consistit veritas magis propria secundæ operationis quam primæ. Hoc enim posito,

**Probatio assertionis.** Ratio assertionis est, quia ibi est veritas, saltem incomplexa, ubi reperitur conformitas repræsentatiua cum obiecto repræsentato: in prima operatione reperitur talis conformitas, cum enim apprehendo animal rationale, habeo conceptum conformem homini: ergo in prima operatione reperitur veritas incomplexa. Maior patet, nam similiter etiam dici solet, *Hæc est vera imago Cesaris*, propter solam simplicem repræsentationem Cesaris; imò in operatione sensuum reperitur veritas, quando videtur obiectum sicuti est: ergo illa multò magis reperitur in apprehensione simplici. Quod autem illa sit veritas imperfecta solum, & incomplexa, patet, quia in prima solum apprehensione non affirmatur, aut negatur aliquid; neque vnquam dicimur falli, aut fallere, nisi quando iudicamus rem habere se aliter, quam se habeat reipsa.

**Assertio secunda de falsitate.** Dico secundò. In prima operatione mentis reperitur etiam falsitas incomplexa, & minùs propria, nimirum talis difformitas cognitionis cum obiecto, vt per eam non dicamur falli, aut fallere. Ita docent Valentia 1. part. quæst. 17. part. 2. Hurtadus disp. 9. de anima, & alij, contra Suarezem, Vasquezem, Auerfam.

**Quadruplex probatio.** Ratio autem primò est, quia ubi est fictio, ibi est aliqua falsitas. In prima operatione reperitur fictio, v.g. cum cogito vnionem rerum impossibilem in chimæra: ergo in prima operatione falsitas est. Deinde cum aliquis apprehendit totam aliquam propositionem, quam scit esse falsam, vt cum catholicus propositionem hanc apprehendit, *Angelus est corporeus*, in apprehensione illa est difformitas cum obiecto: ergo est falsitas. Tertiò. In operationibus sensuum, & præsertim phantasie, aliquis esse potest error: illi sunt simplices conceptus: ergo in simplici conceptu est falsitas. Denique cum aliquis videns aurum, & sine vllò iudicio apprehendit aurichalcum, tunc apprehensio aurichalci est falsa, & difformis obiecto: quod probatur. Obiectum illius apprehensionis est aurum præsens; sed hæc apprehensio est difformis auro: ergo est difformis obiecto. Probat maior. Illud est obiectum huius apprehensionis, per cuius speciem intellectus determinatur ad talem apprehensionem: sed per speciem auri præsentis intellectus determinatur ad talem apprehensionem: ergo aurum præsens est obiectum huius apprehensionis. Confirmatur; si enim tunc eliciam iudicium falsum, & dicam, *Hoc est aurichalcum*, non tendo per primam apprehensionem in aliud obiectum, quam in hoc præsens: sed hæc apprehensio est difformis obiecto præsentis: ergo prima apprehensio esse potest difformis obiecto præsentis.

**Prima obiectio.** Obiicitur primò. Aristoteles lib. 1. de interpret. cap. 1. ait aliquas esse operationes mentis, in quibus nec est veritas, neque falsitas: nulla huiusmodi esse potest operatio præter primam: ergo in prima operatione non est veritas, neque falsitas. Confirmatur. In iis solum conceptibus est veritas & falsitas, quibus respondent voces significantes verum & falsum: sed voces significantes primam apprehensionem, non significant verum aut falsum; si enim audiat aliquis vocem hanc, *homo*, nondum dicere potest, verum esse, aut falsum esse: ergo in simplici apprehensione non est veritas aut falsitas.

Ad primam respondeo, Philosophum loco illo citato velle tantum, quod veritas & falsitas com-

**A** plexa & perfecta non reperitur in simplici apprehensione; non velle quod veritas & falsitas incomplexa & impropria nulla sit in ea operatione, cum etiam contrarium asserat lib. 3. de anima, cap. 6. & 9. Metaph. cap. 12. Ad confirmationem eadem distinctio respondet; vocibus enim significantibus primam operationem non respondet veritas illa perfecta, quæ affirmet aliquid, aut neget; sed respondet eadem illa imperfecta veritas, quæ respondet primæ mentis operationi.

**B** Obiicitur secundò. Prima mentis operatio, vel repræsentat tale obiectum, & sic non est difformis obiecto; vel non repræsentat illud obiectum, & sic non est etiam illi difformis. Quod probatur. Cognitio non est difformis illi obiecto, quod non est eius obiectum: sed illud non est eius obiectum, sed aliud cum quo habet conformitatem, v.g. cum habeo aurum præsens, & cogito aurichalcum, tunc obiectum huius cognitionis est aurichalcum: ergo cognitio tunc non est difformis obiecto. Confirmatur, quia si tunc simplex apprehensio esset falsa, nulla esset vnquam apprehensio, quæ non esset falsa, cum nulla sit apprehensio, quæ non sit difformis alicui obiecto extraneo.

**C** Respondeo primam apprehensionem esse sapissimè difformem obiecto proptio, v.g. cum habeo præsens aurum, & cogito aurichalcum, illa cognitio habet obiectum præsens, per cuius speciem determinatur, aurum videlicet, non autem aurichalcum, per cuius speciem non determinatur. Neque dicas. Illud est obiectum huius apprehensionis, quod terminat hanc apprehensionem, & per eam cognoscitur, quod illi obiicitur: sed aurichalcum terminat hanc apprehensionem, & per eam apprehenditur & cognoscitur: ergo aurichalcum est obiectum huius cognitionis, non autem aurum.

**D** Resp. negando minorem; illud enim, quod huic apprehensioni obiicitur, quod illam terminat, & per illam apprehenditur, non est aurichalcum, sed est aurum per modum aurichalci. Et probatur, quia illud tunc intellectus apprehendit, ad quod terminatur ipsa visio sensitiua: sed visio terminatur ad aurum præsens, à cuius etiam specie causatur: ergo etiam apprehensio intellectus terminatur ad ipsum aurum, sicut quando apparet oculo baculus fractus in aqua, oculus videt baculum integrum per modum fracti.

**E** Obiicitur tertio. Omnis falsitas in deceptione consistit: sed in prima operatione non est deceptio, quia per eam nemo falli dicitur, aut fallere: ergo in prima mentis operatione non est falsitas. Declaratur minor. In hoc exemplo, disputans Catholicus contra hæreticum de Eucharistiæ Sacramento, primùm intra se affirmat Christum esse in eo realiter, deinde opinionem hæreticam intrà concipit per primam operationem, in qua, si est deceptio, sequitur eum tunc non falli.

**E** Resp. dictum esse sapius, quod falsitas perfecta, & complexa in deceptione consistit; incomplexa, & imperfecta est sine vlla deceptione. Illa sola reperitur in simplici apprehensione, in qua proinde locum deceptio non habet. Et ita soluitur id quod addebatur de opinione hæretica, quam concipit Catholicus per simplicem apprehensionem.

Secunda obiectio

Instantia

Tertia obiectio



## S. II.

*Virum propositiones insolubiles vera sint,  
an falsa.*

Dico primò. Propositiones, quæ dicuntur communiter insolubiles, siue seipsas falsificantes, primò esse simpliciter impossibiles, secundò si essent possibiles, esse omnes falsas.

Quatuor genera insolubili-  
um.

Obserua plures à Dialecticis excogitatas esse propositiones, quæ supra seipsas reflexivæ sunt, & dicunt se esse falsas, in quibus primâ specie tantum apparet difficultatis, ut appellentur communiter insolubiles. Huiusmodi esse potest primò ista: *Ego semper mentior*; si enim propositio illa est vera: ergo est falsa, quia dicit se esse falsam. Si autem est falsa: ergo est vera & conformis obiecto, cum sit falsa, & dicat se esse falsam. Secundò sunt duæ propositiones, quarum prima significet se ipsam, altera verò significet primam propositionem: v. g. si dicas, *Hæc propositio non est vera*: *Hæc propositio est vera*. Videretur tunc quod ambæ sunt veræ; nam hoc ipso, quod prima negatiua, est vera, certè altera etiam est vera, quæ affirmat eius veritatem; si autem prima falsa est: ergo etiam secunda, quia dicit secundam esse veram, cum non sit vera; sicque ambæ sunt falsæ, cum tamen sint contradictoriæ. Tertio. Proferat Plato propositionem falsam, v. g. *Homo est equus*; & ego dicam, *Mea propositio est similis propositioni Platonis*; tunc mea ista propositio vel est vera, vel est falsa. Si est vera: ergo est similis propositioni Platonis. Atqui propositio Platonis est falsa: ergo mea propositio est falsa: ergo est vera simul & falsa. Quarto, dicat Socrates, *Plato dicit falsum*; & Plato dicat, *Socrates dicit verum*. Quæro an propositio Socratis vera sit, an falsa; si enim est vera: ergo falsum est id quod Plato dicit: sed Plato dicit Socratem dicere verum: ergo propositio Platonis est falsa. Plato dicit Socratem dicere verum: sed Socrates dicit Platonem dicere falsum: ergo Socrates dicit verum; & tamen dicebas dici ab eo falsum. Quintò sunt in mundo tres tantum propositiones; prima dicat, *Homo est equus*: secunda, *Equus est leo*: tertia, *Omnis propositio est falsa*: quæro, an tertia ista propositio vera sit, an falsa. Si vera: ergo est falsa, quia dicit omnem propositionem esse falsam, cum tamen ipsa sit propositio. Si ergo est vera, cum non sint in mundo nisi tres propositiones, quæ omnes sunt falsæ, sequitur quod omnis propositio est falsa: ergo ista tertia est falsa, atque adeò simul vera est, & falsa, Dixi ergo in conclusione propositiones illas omnes primò ita esse impossibiles, ut non nisi voce tenus sint propositiones: deinde posito, quod essent possibiles, illas esse falsas simpliciter.

Probatur eorum impossibilitas.

Primò enim, quod impossibiles illæ sint, probatur, quia non potest intellectus assentiri propositioni, quam scit esse falsam: sed si assentiretur propositioni, quam scit esse falsam, assentiretur propositioni, quam scit esse falsam: ergo intellectus non potest assentiri propositioni, quæ dicit se esse falsam: ergo illæ propositiones, quæ dicunt se esse falsas, impossibiles sunt, & voce duntaxat tenus sunt propositiones. Deinde nihil potest sibi ipsi esse oppositum: istæ propositiones, quæ dicunt se esse falsas, opponuntur sibi ipsis, quia negant id ipsum quod affirmant; negatio enim opponitur affirmationi, cum v. g. dico, *Ego semper mentior*, affirmo me nunc mentiri; & tamen nego me men-

tiri; cum omnis propositio, saltem implicite, dicat se esse veram, ut statim declarabo: ergo impossibiles sunt istæ propositiones. Præterea implicat, ut contradictoria in eodem subiecto reperiantur: in his propositionibus simul reperirentur contradictoria, veritas nimirum & falsitas; si enim v. g. hæc propositio, *Ergo semper mentior*, sit vera: ergo cum affirmet se esse veram, est falsa: ergo est vera, & falsa. Si autem sit falsa: ergo, cum affirmet se esse falsam, est falsa: ergo est vera simul, & falsa; ubi est implicancia, ut patet. Altera etiam probatio huius impossibilitatis esse solet, quia implicat ut aliqua cognitio se ipsam habeat pro obiecto, ut probabitur in Physica; & sæpe declaratum est in Theologia: sed hæc probatio difficilior, quia certum est, quod aliqua cognitio, saltem secundarid & confusè posset in seipsam tendere, ut si dicam, *Deus cognoscit omne cognoscibile*: *Deus facere potest omne possibile*; nam illa etiam cognitio cognoscibilis est, & possibilis. Cur ergo non poterit similiter dari aliqua cognitio, quæ tendat in seipsam, quatenus continetur sub ratione aliqua communi, ut, *Ego semper mentior*.

Secundò, quod illæ propositiones, posito etiam, quod essent possibiles, essent simpliciter falsæ, probatur primò; quia omnis propositio, quæ affirmat aliquid impossibile, falsa est: istæ omnes propositiones, quæ dicunt se esse falsas, affirmant aliquid impossibile, v. g. ista, *Ego semper mentior*: ergo falsa est. Minor probatur, qui est essentialiter cuilibet propositioni, ut implicite ac virtualiter dicat se esse veram, id est, rem esse ut enunciat: v. g. ista, *Ego semper mentior*, inuoluit hanc aliam, *Verum est me mentiri*. Vnde argumentor. Ista propositio dicit implicite se esse veram, & tamen explicite dicit se esse falsam: ergo dicit se esse veram, & falsam: sed est impossibile ut aliquid verum sit, & falsum: ergo ista propositio affirmat aliquid impossibile: ergo est falsa.

Instabis primò. Si hæc propositio est falsa: ergo est vera, quia dicit se esse falsam.

Resp. illam propositionem esse veram secundum quid, & falsam secundum quid, sub diuerso respectu: veram, quatenus dicit se esse falsam; falsam autem, quatenus dicit se esse veram.

Instabis secundò. Si hæc propositio sit falsa, v. g. cum dico, *Hæc propositio non est vera*: ergo vera erit ista eius contradictoria, *Hæc propositio est vera*; si enim ex duabus contradictoriis una est falsa, secunda est vera: atqui si hæc secunda sit falsa, prima est necessarid vera, quia dicit primam esse veram.

Resp. hanc secundam non esse contradictoriam primæ, cum enunciat vnam duntaxat partem illius; prima enim dicit se esse veram, quod etiam dicit secunda, & sic non opponitur primæ, sed tantum dicit partem eius quod dicit prima; non sunt ergo contradictoriæ.

Dico secundò, posse aliquem polliceri alteri premium, ex suppositione quod prima propositio quam dicet, vera sit, modò id quod dicet, non includat largitionem ipsam præmij, aut doni: si autem id quod dicet, includat ipsam largitionem doni, non potest quisquam obligari ad talis doni largitionem. Quod ut explicem,

Obserua, præter propositiones insolubiles nuper explicatas, aliquas etiam alias esse, in quibus pactum procedit de propositione, quæ est destructiua pacti, v. g. promittit Deus Petro gratiam, *si verum dixerit*; Petrus autem Deo dicat, *Non dubitavi gratiam*: queritur utrum Deus debeat Petro dare gratiam: si enim

Istas esse falsas si sint possibiles.

Alterum genus insolubili-um.

Explicatur difficultas.



SECTIO III.

*Quomodo vera sint propositiones de obiecto  
contingenti, præsertim futuro.*

enim dederit, Petrus dixit falsum, sicque non debet illi dari gratia; si autem Deus non dederit gratiam, Petrus dixit verum, & sic debetur ei gratia. Neque videtur dubitari possibile, cum etiam inter homines huiusmodi pactum iniri potest. Pater v.g. dicere potest filio suo, *Faciam te meum heredem*, si nunquam dicas falsum: filius vero dicere potest, *Non facies me tuum heredem*. Dominus seruo debenti centum nummos dicere potest, *Si tuam primam litem obtineas, remitto tibi debitum*: seruus autem litem domino intendat ad non soluendam hanc pecuniam; tunc si litem seruus obtineat, debet dominus ex pacto dare centum. Si autem cadat, non debet ex pacto, & tamen debet ex sententia iudicis: cuiusmodi litem Athenis celeberrimam fecerunt Oratores duo, narrante Gellio: cum enim Protagoras exigeret à discipulo mercedem, cuius solutionem nolle se dixerat donec Orator euasisset optimus, negaret autem discipulus mercedem, nisi talis esset Orator ut causam obtinere posset, technis eius inuolutus index, mali corui malum ouum à se ablegauit.

Difficultas ergo est in explicanda veritate harum propositionum; si enim dicat Petrus promittenti Deo, *Non dabis mihi gratiam*; vel est propositio vera, vel falsa. Si vera: ergo vera etiam erit alia, *Deus dabit gratiam posita propositione Dei*: si verò hæc erit falsa, *Deus non dabit gratiam*; erit etiam falsa ista, *Deus dabit gratiam*; quia Deus promissit se daturum gratiam, ex suppositione quod prima propositio, quam diceret Petrus, esset vera. Et sic propositiones istæ contradictoriæ, *Deus dabit gratiam*; *Deus non dabit gratiam*, erunt simul veræ, & simul falsæ.

Video autem solui hoc primò posse, dicendo quod Deus in tali casu, vel alius quilibet non potest teneri ad dandum præmium promissum sub ea conditione, per vllam propositionem, quæ includat largitionem doni; quia, ut aliàs dixi, non potest pactum procedere de propositione destructiua pacti, alioqui posset aliquis obligari ad impossibile. Deinde veritas talis propositionis, propter quam datur præmium, debet mouere promissorem ad dandum præmium: sed ipsa largitio præmij non potuit mouere promissorem ad dandum præmium: ergo propter veritatem, quæ continet largitionem præmij, non potest deberi præmium. In eo igitur casu proposito, in quo Deus Petro dicat, *Dabo tibi gratiam, modo verum dicas*; Petrus autem dixit, *Non dabis mihi gratiam*; vi huius propositionis Deus nec tenetur dare gratiam, neque tenetur illam non dare, æquè omnino ac si nihil dixisset; quod idem dico de aliis omnibus casibus. Si autem quæras, hæc propositio Petri etne vera, an falsa? Resp. si Deus illi det gratiam, est falsa; si non det gratiam, est vera. Liberum autem illi est dare, vel non dare gratiam; per illam enim promissionem nullo modo tenetur dare, vel negare gratiam.

Secundò video aliter etiam à nonnullis solui hanc difficultatem, & dicere, quod Deus non potest inire huiusmodi pactum cum Petro, etiam ex suppositione, quod præuideat Petrum dicturum, *Non dabis mihi gratiam*, quia non potest se obligare ad aliquid impossibile. Posset tamen, inquit, homo ita se obligare. Dicat v.g. Rex mihi, *Si dicas verum, dabo tibi centum nummos*; ego autem dicam, *Non dabis*; tunc si Rex det, non tenetur dare; si autem det, tenetur dare; quia ex hoc pacto illud verè sequitur. Sed hæc responsio difficilis est, & illi haud dubiè præferenda est prior illa, quam attuli.

Circa veritatis subiectum, quod inquirere cœpi, grauissima ista superest, omniumque ingeniorum contentione dignissima difficultas, in qua experitur humana mens, quantas in seipsa senbras habeat, quæ tantam in re per se clarissima caliginem vel faciat, vel inueniat, quam ego nunc, ut pro virili mea parte discutiam.

Certum sit primò, tantam esse arbitrij humani libertatem, idest potestatem agendi, vel non agendi, ut eam violare nec creatura vlla valeat, nec Creatorum etiam ipsam deceat, ut ait Richardus à S. Victore. Hanc enim arcem inexpugnabilem, hoc regnum immortale animæ, hanc libripem dem emancipati homini à Deo boni, hominibus datam esse, si ratio philosophica taceret, quotidiana tamen experientia, & Sapientum omnium voces conuincerent.

Certum est secundò, diuinum oculum, quem, quia cernit omnia solus, verum possis dicere Solem, ut loquitur eleganter Boëtius; intellectum, inquam, Dei habuisse ab æterno claram & certissimam scientiam eorum omnium, quæ sunt, vel etiam quæ futura sunt, tum absolute, tum etiam conditionatè; per quam tam distinctè vidit ante annos infinitos id, quod facio in hoc instanti, ac videt illa nunc quando facio. *Temporalia enim mouens*, inquit August. lib. 10. ciuit. cap. 12. *temporaliter non mouetur, nec aliter nouit faciendâ, quàm factâ; nec aliter exaudit invocantes, quàm innocantibus videt. Quæ tamen, ut ait Boëtius lib. 5. consolat. prola 12. ille ab æterno cuncta prospiciens, prouidentia cernit intuitus, & suis quæque meritis prædestinata disponit.* Addebam verò, cognosci ab omnividente Dei intellectu ea etiam omnia, quæ de facto non sunt futura, sed posita tamen aliquâ conditione futura essent: v.g. non solum videt Deus ea, quæ facturus sum, sed ea etiam quæ facerem si natus essem in India, si essem mercator, & demùm quidquid posita quacunque vel temporis, vel loci, vel status, vel sociorum circumstantiâ facturus essem; quod suppono probatum in Theologia, vbi etiam dixi quod Deus illa omnia clarè, distinctè, intuituè non cognoscit modò, sed videt. His positis,

Tota difficultas est, quomodo cum hac Dei scientia, atque aded cum veritate propositionum omnium de futuro, stare possit libertas arbitrij cum tota sua indifferentia, eodem modo ac si nihil Deus præsciret, & nulla propositio de futuro esset ab æterno vera. Hæc difficultas ut explicetur clarissimè, primò videndum est, qualis sit veritas propositionum de præterito, & de præsentis: secundò veritas propositionum de futuro contingenti absolute: tertio veritas de futuro conditionato: quarto earum propositionum necessitas: quinto quid senserit circa veritatem hanc Aristoteles.

Existencia  
humana li-  
bertatis.

Existencia  
diuina præ-  
scientia.

Status con-  
trouersia.



§. I.

*Veritas propositionum de praterito & de  
presenti.*

Affertio af-  
firmatiua.

Uile contin-  
gens quid sit  
& quatu-  
plex.

Esse deter-  
minatū quid  
fit & quo-  
tuplex.

**D**ico primo. Propositio de obiecto contingenti præterito & præsentis vera est, vel falsa determinate, non determinatione potentiali, sed actuali. Hoc antequam probem,

Obserua primò, contingens illud appellari, quod potest esse, vel non esse; fieri, vel non fieri: quod quia contingere potest pluribus modis, propter causas propriè dictum illud est, quod *causam habet indifferentem ad operandum, vel non operandum, positis omnibus ad agendum præsquisitis*, seu quod est à causa libera. Dupliciter enim, vt rectè notat Molina *disp. 47. concordia*, potest aliqua causa esse indifferens ad operari, vel non operari. Primò secundum se considerata in sensu diuiso, idest, sublati præsquisitis ad agendum; & sic nulla est causa naturalis, quæ non sit indifferens; ignis enim, si tollas materia combustibilis proximitatem, non vret. Altero modo est indifferens, positis omnibus ad agendum requisitis in sensu composito, vt voluntas quæ posita cognitione, & præparatione diuini concursus, potest amare, vel non amare. Hæc verò est indifferentia propria causæ liberæ, à cuius indifferentia effectus dicitur contingens, idest productus à causa quæ poterat agere, vel non agere. Vbi obserua, quod esse contingens nullo modo pugnat cum determinata futuritione; nam futuritio dicit tantum esse pro tali tempore; non autem dicit non posse non esse: contingens verò dicit tantum posse non esse.

Obſervata ſecundò , determinatum , ſeu deter-  
minatè verum nullo modo idem eſſe ac ne-  
ceſſarium ; nam eſſe determinatè verum eſt ſi  
ita verum , vt non ſit falſum. Dixi , *vt non ſit*  
*falſum* ; non autem , *vt non poſſit eſſe falſum* ;  
quia propoſitio de præſenti eſt vera , & tamen  
potèſt eſſe falſa. Duplex igitur eſt indetermina-  
tio , altera eſt actualis , altera potentialis. Actualis,  
vt docet optimè Valquez *diſput.* 68. *num.* 18.  
eſt indifferentia ad fore vel non fore , quæ ex-  
plicatur per duas propoſitiones de inelle , *Petrus*  
*currit* , vel *non currit*. Huiusmodi actualis  
indeterminatio directè pugnat cum determinata  
veritate propoſitionis , & illi opponitur deter-  
minatio actualis , quæ eſt habitudo ad eſſe pro  
aliqua differentia temporis , vt , *Petrus currit*.  
Indeterminatio potentialis eſt indifferentia cum  
ſa ad agendum vel non agendum , quæ ſcilicet  
explicatur per vnam de inelle , alteram de poſ-  
ſibili , vt , *Petrus currit* ; *poterit* tamen non *cur-  
rere* ; & hæc non pugnat cum determinatione  
actuali. Hoc igitur certò tenendum eſt , quod  
res contingens habet determinationem actuali-  
quam , quia non licet dicere de illa , erit vel non erit ;  
reuerà enim erit , ſed habet indeterminationem  
potentialem , quia poterit non eſſe : primum ſatis  
eſt ad determinatam veritatem ; ſecundum ſuf-  
ficat ad libertatem. Quod manifèſtè declarari  
poſſet à pari ; res enim præſens , eſt verè con-  
tingens , & habet determinationem actualem ,  
cùm verè liceat dicere , *Petrus* , v. g. *currit* ; non  
liceat autem dicere , *Petrus currit vel non currit* :  
ergo ſola determinatio actualis ſtare poſſet cum  
contingentia , potentialis autem deſtruit contin-

**A**gentiam ; ac proinde propositio contingens determinatam habet veritatem actualem, licet habeat indeterminatam veritatem potentialem. His ita explicatis,

Ratio cur propositio de praterito & praesenti Probatio as-  
 veritatem habeat determinatam determinatione fectonis.  
 actuali, est illa; quia est conformis obiecto, neque  
 licet dicere, *Petrus currit*, vel *non currit*, est enim  
 propositio impossibilis, sed, *Petrus rēverā currit*.  
 Neque licet dicere, *Petrus cucurrit*, vel *non cucurrit*;  
 sed *Petrus cucurrit*: ergo illae propositiones habent  
 determinationem actualem.

Quod autem habeant indeterminatorem potentialem, ratio perspicua est, quia verum est dicere, *Petrus currit, potest tamen non currere: Petrus cucurrit, potuit tamen non currere*. Determinatio enim potentialis, ut observabam, contraria est libertati, non autem determinatio actualis.

Obiicitur. Si vera est propositio de presenti, v.g. *Petrus est abbas*, vel habet veritatem toto tempore, quo profertur, vel postquam prolata est, vel in ultimo solum instanti, quo definit proferri. Non toto tempore quo profertur; nam quando nondum est, non est vera; sed quando nondum prolatum est prædicatum, propositio nondum est: ergo nondum est vera. Non postquam prolata est; quod enim simpliciter non est, illud verum non est. Non in ultimo instanti, quo definit proferri; licet enim eo instanti dicere, *Nunc propositio non est, cum anteà esset*; definit enim cum sit successiva, per primum non esse, non autem per ultimum esse.

Respondet, propositionem esse veram toto tempore quo profertur, copulatiue fumendo omnes illius partes; non autem diuisiue, idest si fumas solam primam partem, non est vera, neque si fumas solam vltimam, sed si omnes simul fumas, in illo toto tempore vera est. Deinde dici etiam posse, illam esse veram in aliqua parte temporis indeterminata, in qua completur propositio, & postquam sequitur instans in quo licet dicere, *Nunc est completa propositio.*

§. II.

D *Veritas propositionum de futuro absoluta.*

**D**ico secundò. Propositiones contradictoriæ de futuro contingenti determinatè veræ sunt, non solum disjunctim, sed etiam disjunctivè, eodem modo ac propositiones contradictoriæ de præsentì & præterito. Id est, non solum hæc propositio hypothetica determinatè vera est, *Petrus peccabit, vel non peccabit*; sed etiam hæc categorica, *Petrus peccabit*, vera est determinatè; & hæc determinatè falsa, *Petrus non peccabit*. Pro cuius intelligentia,

Obſerua primò, propoſitiones contradiſtorias  
v.g. iſtam, *Bellum nauate cras erit, vel non erit*, poſſe  
ſumi vel diſiunctim, vel diſiunctiue: diſiunctim ſu-  
muntur, quando amba propoſitiones vnitæ per  
particulam, *vel*, ſiunt vna propoſitio, qua propo-  
ſitio non ſolum eſt vera, ſed etiam eſt neceſſaria:  
diſiunctiue ſumuntur, quando ex duabus non ſit  
vna, ſed quælibet categorica ſumitur per ſe, v. g.  
*Bellum cras erit*; & de iſtis tota eſt difficultas, &  
multiplex Authorum diſſidium, vt patebit ex ſta-  
tim dicendis.

Obserua enim secundò, quintupliciter videri di-  
nitos esse Doctores circa veritatem hanc, de qua  
quarimus. Primò enim vetus fuit Stoicorum error  
apud August. *lib. 5. de ciuit. c. 8.* Simonis magi apud  
Clementr.

Probatio as-  
sertionis.

Objectis:

Affertio af-  
firmans.

Disiunctim  
& disiuncti-  
uè.

Quinque  
Authorum  
sententiæ.



# Disp. III. Quæst. II. de Verit. & Falsit. cognit. 52

lib. 5. *recognit.* Manichæi apud Chrysost. hom. 45. in Joann. demumque Ioannis Vvicleffi, vt constat ex Concilio Constantiensis act. ultima, & Valdensi tom. 1. lib. 1. art. 1. cap. 21. nullum omnino esse posse locum humanæ libertati, sed *fato*, idest *necessario*, eundem fieri, eo quod detur in diuina mente præscientia, & determinata veritas futurorum. Quibus alij ex opposito, vt Cicero, & ex plurium etiam mente ipse Aristoteles, vt *remotâ necessitate libertatem astruerent, sacrilegos fecere homines, vt facerent eos liberos*, inquit August. lib. 3. de lib. arbit. negarunt enim præfieri à Deo futura, atque adeo voluere propositiones de futuro neque veras esse, neque falsas. Secundò, à Catholicis etiam Doctoribus non pauci, neque obsecuti nominis aliqui sensere, nullas ex istis propositionibus esse actu veras aut falsas, sed potentia tantum, quatenus fieri possunt veræ, si contingat id quod enunciant; falsæ, si non contingat. Tertiò, concedunt alij veras aut falsas esse propositiones de futuro, sed negant, esse posse distinctè ac determinatè veras aut falsas; sed contradicentium vnâ esse indeterminatè veram, alteram indeterminatè falsam, ita vt signari nequeat, quænam earum sit vera, & quænam earum sit falsa. Ita censent Aureolus, Catharinus, Bassolis, Agidius, Argentina, Molina, Conimbricenses, Mafius, Valilius. Quartò, Thomistæ aliqui negant propositiones contingentes de futuro habere veritatem aut falsitatem determinatam, nisi post decretum Dei de prædeterminanda hominum voluntate ad talem, vel talem actum. Ita enim censent Alvarez disp. 7. de auxil. n. 13. & disp. 13. Ledesma, & alij. Quintò denique statuit communior, & sine dubio verior sententia, quod è duabus propositionibus de futuro, vna est determinatè vera, idest ita vera, vt non sit falsa; & altera determinatè falsa, idest ita falsa, vt non sit vera; determinatione, inquam, *actuali*, non autem *potentiali*, quatenus ita est vera, vt possit absolute falsa esse. Ita S. Thom. lib. 1. de interpret. scilicet. 13. 14. 15. & 1. p. 7. 14. & 16. Scotus, Alensis, Albertus, Ochamus, Suarez & Vasquez. Vide omnino Ruiz disp. 23. de scientia Dei, scilicet. 2. vbi adducit multa loca Patrum, præsertim Athanasij, Augustini, Anselmi. Sed nemo id exposuisse videtur elegantius Boëtio lib. 5. consolat. prosa 5. Mihi satis erit paucis & clarissimis rationibus id probare.

Prima ratio. Prima ducitur ex notissimis illis, & omnium primis principiis, *Quodlibet est, vel non est: Impossibile est aliquid esse simul, & non esse*. Ex quibus sic arguuntur. Duæ propositiones contradictoriæ non possunt esse simul veræ determinatè, neque simul falsæ determinatè, alioqui simul idem esset: ergo ex duabus illis contradictoriis, *Petrus peccabit, Petrus non peccabit*, vna est determinatè vera, & altera falsa determinatè. Imò de quolibet vera est determinatè affirmatio, vel negatio, alioqui posset idem esse simul, & non esse: ergo de qualibet propositione contingente dici debet, vera est determinatè, vel falsa est determinatè.

Secunda ratio. Secunda ducitur ex altero etiam principio per se noto. Ab eo quod *res est, vel non est*, propositio vera est, vel falsa. Vnde arguuntur. Illa propositio est determinatè vera, quæ rem enunciat sicuti est: hæc propositio, *Petrus peccabit*, rem enunciat sicuti est, suppono enim Petrum reuera postea peccare: ergo illa propositio de futuro est determinatè vera. Confirmatur. Illa propositio est vera determinatè, quæ ita est conformis obiecto, vt non sit difformis: hæc propositio, *Homines resurgent*, ita est conformis obiecto, vt non sit difformis: ergo illa est determinatè vera. Deinde hodie determinatè verum est dice-

re, *Petrus peccat*: ergo heri determinatè verum erat dicere, *Petrus peccabit*. Probo consequentiam. Heri affirmabat idem quod nunc: sed nunc affirmat verum: ergo & heri.

Tertia ratio. Illa propositio determinatam habet veritatem, seu est distinctè vera, & non falsa, quam qui profert, verum dicit, & non mentitur: propositiones de futuro Deus & Prophetæ verè dixerunt, & non sunt mentiti: ergo illæ habent determinatam veritatem. Maior nota est, minorem nemo Christianus in dubium vocat, consequentia ergo est necessaria. Confirmatur. Qui dicit certò & determinatè futurum, quod non est certò & determinatè futurum, mentitur: Deus & Prophetæ dixerunt multa determinatè futura: ergo mentiti sunt, si nihil sit determinatè futurum.

Quarta ratio. Illud est determinatè futurum, cuius habetur vera & determinata scientia: sed futuri contingentis habetur à Deo certa & determinata scientia: ergo illud est verum determinatè. Imò id quod est determinatè obiectum fidei, est verum determinatè. Multa futura contingentia sunt obiectum fidei, v. g. *Erit dies iudicij*: ergo futura contingentia sunt determinatè vera.

Quinta ratio. Illud est determinatè verum, quod est necessarium: propositio de futuro contingentis, necessaria est, ex suppositione, vt probabitur §. 4. ergo est determinatè vera.

Sexta denique ratio sit ingeniosum illud dilemma Vasquis. Vel qui dicit, *Petrus peccabit*, verum dicit, vel dicit falsum. Si verum: ergo propositio illa est vera. Si falsum: ergo qui dicit contrarium, *Petrus non peccabit*, dicit verum. Quod probo. Qui dicit contrarium falso, dicit verum: iste dicit contrarium falso: ergo dicit verum. Ergo vna ex contradictoriis est vera, & altera est falsa. Item probo, quod ille non dicit verum. Qui dicit rem futuram quæ non erit, non dicit verum: ergo ille dicit verum, & non dicit verum: & qui dicebat, *Petrus peccabit*, dicit falsum, & non dicit falsum; qui enim dicit contrarium falso, non dicit falsum.

## §. III.

### Veritas propositionum de futuro conditionato.

Deo tertiò. Propositiones de futuro contingentis conditionato sunt eodem modo determinatè veræ, aut falsæ, quo propositiones de futuro absoluto. Ita Suarez, Vasquez, Ruiz, qui demonstrant ita sensisse omnes Patres, & omnes Theologos, si paucos excipias recentiores Thomistas: de quo argumento plenè dixi 1. part. Nunc, vt de assertionem posita clarè constet,

Obserua primò, quid sit nunc actu rem aliquam esse futuram; non enim primò est esse præsens æternitati Dei, quæ licet entitatiuè sit indiuisibilis, virtualiter tamen diuisibilis est, sicut immensitas. Neque secundò est decretum Dei absolutum de re aliqua; hoc enim destrueret libertatem. Nec est aliquid præsens, licet propositio illa, *Nunc Antichristus est futurus*, videatur designare tempus præsens: rectè siquidem monet. Augustinus, hunc esse vocis abusum, quæ videtur futurum coniungere cum præsentem. Copula igitur, *est*, in hac propositione, *Nunc Antichristus futurus est*, non signat vllam existentiam præsentem, sed tantum præsentem connexionem prædicati & subiecti. Futurum ergo nihil aliud est in recto, nisi res ipsa prout connotat tempus sequens, cui coexistet. Futuratio autem est coexistentia cum tempore sequenti.

Obserua

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Quinta ratio.

Sexta ratio.

Conclusio affirmatiua.

Quid sit rei futuratio.



# 60 Philosophiæ Peripateticæ Liber I.

Futurum  
absolutè &  
conditiona-  
tè.

Futurum  
conditiona-  
tum quid  
exigat.

Probatio af-  
sertionis.

Obserua secundò, duobus modis posse aliquid esse futurum: primò absolutè, secundò conditionatè. Absolutè illud est futurum, quod significatur cognitione aliqua categorica; vt, *Erit Antichristus*. Conditionatè futurum, quod significatur per propositionem aliquam hypotheticam; Si *Tyrii viderent miracula Christi, converterentur*.

Obseruatertio, tunc non esse futurum conditionatum, quando res significata per conditionem, non est aliquo modo principium, vel conditio rei future; v.g. hæc, *Si Petrus currat, Paulus studebit*, non dicitur propositio de futuro conditionato, quia cursus Petri disparatus est à studio Pauli, nec est eius principium, vel occasio. Ista verò est propositio de futuro conditionato, *Si Christus Tyriis prædicet, converterentur*; prædicatio enim Christi causaret Tyriorum conversionem. Neque hinc sequitur, propositiones huiusmodi esse illatias, si materiam habeant contingentem; sunt enim tantum enunciatiue, vt olim ostendi.

Ratio ergo conclusionis eadem est, quæ superioris; quia scilicet inter contradictoria non datur medium; quodlibet enim est, vel non est: istæ propositiones de futuro conditionato contradictoriæ sunt, *Si Tyrii videant miracula, converterentur: Non converterentur*: ergo vna earum est vera, & altera falsa. Deinde Deus & Propheta multa sæpe dixerunt futura sub conditione: ergo illa vera sunt. Deinde ista, *Si Deus Petrum vocaret, converteretur*; ita est conformis obiecto, vt eius contradictoria sit difformis: ergo est vera determinatè. Probo antecedens. Obiectum huius propositionis est conversio Petri sub conditione vocationis: sed illa conversio reuera existeret si poneretur vocatio: ergo illa propositio est conformis obiecto. Denique multa futura sub conditione sunt obiectum fidei, v.g. *Omnis peccator si perseueret, salvabitur: Omnis iustus, si deseratur à Deo, peccabit: Omnis homo si Deum vocantem sequatur, salvabitur*.

Quibus ita definitis, tota difficultas est, quomodo determinata illa veritas futurorum, quæ pendent à libertate, non officiat libertati; quæ indeterminatio quadam & indifferentia est. Quod vt explicem, exponenda est

## §. IV.

### Necessitas propositionum de futuro.

Conclusio  
distinguens  
necessita-  
tem.

Necessarii  
quid sit &  
quotuplex.

Dico quartò. Propositiones de futuro ita sunt veræ, vt sint necessariae necessariæ & consequente, non autem necessitate antecedente; quo etiam modo necessitate consequenti necessariae sunt propositiones de præsentibus, & de præteritis. Ita communiter tenent Doctores omnes Augustinum & Anselmum sequuti, quorum doctrinam in Philosophia, & Theologia celeberrimam vt proponam,

Obserua necessarium illud appellari, quod non potest non euenire. Duobus autem modis necessarium aliquid esse posse, tradunt Anselmus lib. de concordia, cap. 1. Boëtius lib. 4. consolat. prola 4. & admittunt omnes Theologi apud Vasquez 1. parti. dist. 68. cap. 4. Duplex, inquam, est necessitas; altera est antecedens, altera consequens, seu ex suppositione. Antecedens ea est, quæ nascitur ex causa effectum præcedente, seu quæ est in ipsa causa ante positionem effectus; vt, *cras sol orietur*; non enim potest sol cras non oriri. Necessitas sequens illa est, quæ non nascitur ex parte ipsius cause, neque facit rem esse, aut fore, sed oritur ex positione effectus, quem sequitur. Nascitur, inquam, ex positione ipsa effectus, non tanquam ex causa, sed per optimam consequentiam ex eo inferitur. V.g. ex suppositio-

ne quod sedeam, non possum non sedere; hoc enim modo quod est, quando est, necesse est esse, & præteritum necessariò est præteritum, & futurum est necessariò futurum. Nec enim significat aliud hæc necessitas, nisi quod impossibile sit aliquid esse simul, & non esse.

Vnde rectè ibidem notat Anselmus, duo hæc valde diuersa esse, quod *res sit futura*, & quod *res futura sit futura*: sicut aliud est rem esse præsentem, & rem præsentem esse præsentem; sicut magnum est discrimen inter hanc, *Petrus peccabit*, & hanc, *Petrus qui peccabit, peccabit*. Prima siquidem est contingens, secunda est necessaria necessitate sequente ex eo, quod non possit aliquid esse simul, & non esse. Sed obseruandum tamen est discrimen inter præteritum & futurum, quod ex Anselmo rectè colligit loco citato Vasquez num. 22. & Suarez lib. 1. de scientia futurorum, cap. 9. præteritum enim, quamuis non sit necessarium nisi necessitate consequente, illa tamen necessitas sequens in propositione de præterito, includit immutabilem habitudinem ad esse, idcircoque nulla vis potest eam nunc reddere falsam: Petrus peccauit, v.g. ita necessarium nunc est necessitate sequenti, vt neque Deus, neque Petrus nunc possit reddere illam falsam. At verò propositiones de præsentibus, & de futuro necessitate habent sequentem, quæ reddi potest falsa, potest enim Petrus non peccare, quia illæ propositiones non includunt immutabilem habitudinem ad esse.

Ex his licet concludere cum Anselmo, necessitatè antecedentem pugnare semper cū libertate, siue sit in sensu cōposito, siue in sensu diuiso; quia libertas est indifferentia causæ ipsius, etiam in sensu cōposito: sed necessitas, quæ nascitur ex causa, & ita illam inclinat in vnā partem, vt flecti non possit in aliam, tollit indifferentiam causæ: ergo tollit libertatem. At verò necessitas sequens non tollit vllò modo libertatem, quia illud quod supponit libertatem, non potest eam tollere: necessitas sequens supponit libertatem: ergo non eam tollit. Probatur n. prior. Necessitas quæ sequitur ex positione ipsius effectus liberè positi, supponit libertatem: necessitas sequens sequitur ex positione ipsius effectus liberè positi; dico enim, *Petrus liberè peccabit*: ergo supponit libertatem. Quibus suppositis,

Ratio, cur propositiones de futuro sint necessariae, est, quia illarum obiectum est necessarium. Quod probo. Illud est necessarium, quod non potest non esse: sed id quod est futurum, non potest non esse futurum, alioqui esset simul futurum, & non futurum: ergo habet obiectum necessarium.

Ratio cur sint necessariae tantum necessitate consequenti, est, quia tota earum necessitas petitur ab obiecto, quod præsupponit: sed obiectum itarum propositionum non est necessarium, nisi necessitate sequenti: ergo istæ propositiones de futuro non sunt etiam necessariae, nisi necessitate consequenti. Maior certa est, propositio enim non facit obiectum esse necessarium: sed obiectum necessarium facit propositionem esse necessariam, cum propositio non specificet obiectum, sed ab eo specificetur. Minor probatur. Illud est necessarium necessitate sequenti, quod non est necessarium nisi ex suppositione quod illud sit liberè ponendum: sed futura non sunt necessaria nisi ex suppositione, quod sint liberè ponenda, v.g. Petrus est necessariò peccaturus, quia supponitur esse liberè peccaturus; sicut nunc scribo necessariò, ex suppositione quod liberè scribam: ergo istud obiectum est necessarium necessitate solum consequente, quæ nihil planè officit libertati. Quod vt euentius pateat, ostendenda mihi nunc est

## §. V.

Differentia  
inter præte-  
ritum, &  
futurum.

Propositio-  
nes de futu-  
ro sunt ne-  
cessariæ.

Necessitate  
solum con-  
sequente.



# Disp. III. Quæst. II. de Verit. & Falsit. cognit. 61

## §. V.

### Concordia libertatis cum determinata veritate futurorum.

**I**nfallibiliter me mouet (inquit Euodius apud August. lib. 3. de lib. arbitrio, c. 2. & cum eo vulgus imperitorum) quomodo fieri possit, ut Deus sit præsciens futurorum, & nos nulla necessitate peccemus; quisquis enim dixerit aliter euenire posse, quam Deus ante præscit, præscientiam Dei destrueret impiissimè temeritate molitur. Cui querelæ vt satisfaciam,

Conclusio negans.

Ratio à priori.

Dico quintò, nec præscientia diuina, nec determinata veritas futurorum libertati officiant, sed eam potiùs supponunt.

Ratio prima, & fundamentalis, qua vtuntur SS. Patres & Doctores communiter, vt ostendebam plenius prima parte, est; quia illud non tollit libertatem, quod supponit libertatem, & facit necessitatem solum consequentem: determinata veritas futurorum, sicuti & diuina præscientia, supponunt libertatem, & faciunt necessitatem tantum consequentem: ergo illa non tollunt libertatem. Maior ex terminis nota est; quomodo tollit libertatem id, quod eam supponit, & in ea fundatur? Minor autem probatur. Cognitio purè speculatiua non facit suum obiectum, neque dat illi necessitatem, sed supponit illud, & ab eo fit necessaria: determinata veritas futurorum, & præscientia Dei est cognitio purè speculatiua, quæ non facit, sed supponit obiectum suum: ergo determinata veritas futurorum, & Dei præscientia non facit, sed supponit obiectum suum. Minor clarè probatur, quia Petrus non idè est peccaturus, quia Deus videt Petrum peccaturum; sed idè videt Deus Petrum peccaturum, quia est peccaturus. Optime Beda lib. qq. quæst. 13. Quid ergo, inquit, coegit nos Deus, vt mali sibi videremur ab æterno? Absit: nos coegimus eum, vt nos malos videret.

Confirmatur pluribus exemplis.

Confirmatur ratione clarissima, qua vtuntur plerique Patres. Visio rei præsentis non affert minorem necessitatem, quam præuisio rei futuræ: sed illa non tollit libertatem: ergo nec ista. Probo maiorem, quia posito quod videam te sedentem, tam implicat, vt non sed eas, quam posito quod prævideam te sessurum, non potest fieri vt non sed eas: ergo tam benè visio tolleret libertatem, quam præuisio. Eximiè Boetius lib. 3. prosa 6. Si video iacentem aliquem, necessitas ei non inferitur vt iaceat, sed potiùs à iacente inferitur mihi necessitas vt videam. Alia etiam exempla proferri possunt de ipsa Dei præscientia, quæ non destruit libertatem Dei, tametsi videat quid facturum sit, & hoc sit necessarium ex suppositione, quod Deus sciat se hoc facturum: ergo nec destruit humanam libertatem, tametsi sciat quid illa futura sit. Præterea Dei præscientia non facit magis rem futuram, quam memoria faciat rem præteritam: sed stultum esset dicere, quod memoria rei præteritæ faciat rem illam esse præteritam; non enim res fuit, quia ego memini; sed idè memini, quia fuit: ergo similiter non idè res est futura, quia præcitur, sed idè præcitur, quia est futura.

Prima instantia.

Dices primò. Veritas determinata peti non potest ab obiecto indeterminato: futura contingentia sunt indeterminata: ergo veritas determinata propositionum non potest peti à futuris contingentibus.

Resp. distinguendo minorem: futura contingentia sunt indeterminata, indeterminatione actuali, nego; indeterminatione potenti, concedo: quia poterit omnino Petrus non peccare, sed reuerà tamen peccabit. Similiter si scatur veritas certa, peti non potest ab obiecto incerto: istud obiectum, Petrus peccabit, incertum est, cum possit Petrus non peccare. Distingui debes minor: obiectum istud est incertum antecedens, concedo; consequenter, nego. Nam ex suppositione, quod Petrus sit peccaturus, est necessarium peccaturus, & circa illud vt sic, versatur veritas determinata futurorum.

B

Dices secundò. Quælibet scientia obiectum habet necessarium: futurum contingens non est necessarium: ergo non est obiectum scientiæ.

Secunda instantia.

Resp. Omnis scientia obiectum habet necessarium antecedenter, nego; consequenter, concedo; ad scientiam enim intuitiuam, maximè diuinam, quæ non specificatur ab obiecto, sufficit obiectum necessarium ex suppositione, cuiusmodi sine dubio est futurum contingens.

Dices tertio. Scientia est de obiecto vniuersali per causam necessariò coniunctam: Dei præscientia & propositio de futuro contingenti non est de huiusmodi obiecto: ergo illa non est scientia determinatè vera.

Tertia instantia.

C

Resp. scientiam intuitiuam, præsertim increatam, esse posse de obiecto singulari, alioqui visio rei præsentis non esset certa, & determinata.

## §. VI.

### Difficultates in oppositum ex destructione libertatis.

**V**erùm contra Doctrinam sic expositam vget gravissima hæc, & statim obuia difficultas, quod si propositiones de futuro contingenti determinatè sint veræ, tollitur omnis libertas, & consultatio. V. g. si vera est pars vna contradictionis, Petrus peccabit; & altera determinatè falsa, Petrus non peccabit: ergo necessariò peccabit Petrus. Probo consequentiam. Illud quod est ab æterno verum, necessariò euenit, ita vt nos, qui sumus in tempore, non possimus efficere, vt sit falsum: sed si propositio hæc vera sit determinatè, ab æterno est vera: ergo est necessariò vera. Confirmatur, quia propositiones æternæ veritatis sunt necessariæ.

Propositio difficultas.

D

Resp. negando libertatem ladi ex determinata veritate propositionum de futuro. Ad probationem distingo consequentiam: ergo necessariò Petrus peccabit, necessitate antecedenti, nego; consequenti, concedo. Necessitas autem sequens, vt dixi, libertatem non destruit, sed supponit. Quod autem est ab æterno verum, necessariò euenit necessitate consequenti. Propositiones æternæ veritatis sunt necessariæ altera ex illis necessitatibus. Communiter tamen illæ solæ propositiones dicuntur æternæ veritatis, quarum obiectum antecedenter & essentialiter est necessarium, non tantum consequenter.

E

Instabis primò. Quod Deus præscit, est necessarium: Deus præscit Petrum peccaturum: ergo necessariò Petrus peccabit. Probatur maior. Quoties antecedens est necessarium, consequens etià necessarium est.

Prima instantia ex viciis.

F

Hoc

R. P. de Rhodæ curs. Philosoph.



Hæc antecedens, *Deus præsciuit Petrum peccaturum*, est necessarium: ergo consequens, id est, *Petrus peccabit*, est necessarium. Hæc est celebre illud argumentum Vvicleffi, in quo soluendo gloriabatur homo stultissimus desudasse Armacanum annos viginti.

Resp. tamen facile distinguendo maiorem: quod Deus præsciuit, est necessarium, consequenter, concedo; antecedenter, nego. Similiter ad probationem, quando antecedens est necessarium antecedenter, consequens etiam est necessarium antecedenter, concedo; quoties antecedens est necessarium consequenter, consequens est necessarium antecedenter, nego. Cum ergo illud antecedens, *Deus videt Petrum peccaturum*, non sit necessarium nisi consequenter, consequens etiam est eodem modo necessarium; scientia enim Dei, ut dixi, non facit rem futuram, sed supponit. Idem ergo est dicere, *Petrus necessariò est peccaturus*, si *Deus præsciuit*; ac dicere, *Petrus est necessariò peccaturus*, si *est peccaturus*.

Altera instantia eiusdem Vvicleffi.

Instabis secundò cum eodem Vvicleffo. Præscientia Dei est ita certa, ut non possit Deus vilo modo falli: ergo illius scientiæ obiectum non potest aliter euenire. Probo consequentiam. Si Petrus, quem Deus prævidit peccaturum, non peccaret, Deus esset deceptus, prævidisset enim Petrum peccaturum, qui postea non peccaret: sed Deus non potest falli: ergo Petrus non potest non peccare.

Resp. distinguendo eodem semper modo consequentiam; ergo illius scientiæ obiectum non potest aliter euenire, antecedenter, nego; consequenter, concedo, id est ex suppositione quod sit præscitum. Quia verò non est præscitum nisi ex suppositione, quod sit futurum, vides ibi esse solam necessitatem sequentem, quæ non stat nisi cum libertate, quam supponit. Ad probationem ergo dico, Petrum quem Deus prævidit peccaturum, absolute posse non peccare; consequenter autem, & ex suppositione diuinæ præscientiæ, non posse non peccare: Petrus peccaturus, ut dixi, necessariò est peccaturus. Neque dicas, si Petrus non peccaret, sicuti absolute potest non peccare, certe Deus esset deceptus. Resp. negando consequentiam, quia si Petrus non peccaret sicuti absolute potest non peccare, Deus ab æterno præsciuisset Petrum non peccaturum; & ita non esset deceptus: sicuti quamdiu Petrus est hæc præsens, ego illum video; si abscedat, non video. Similiter enim si es peccaturus, Deus vidit te peccaturum; si non es peccaturus, Deus vidit te non peccaturum; & sic nunquam Deus fallitur.

Tertia instantia ex comparatione futuri cum præterito.

Instabis terriò. Si propositio illa est determinatè vera: Deus præsciuit me peccaturum, vel ab æterno verum fuit me peccaturum; illæ sunt necessariae necessitate consequenti cum inuitabili habitudine ad esse, ita ut nulla vi possit Petrus non peccare. Quod probo. Illud quod est præteritum, non est amplius in hominis potestate, sed dicitur esse simpliciter necessarium: sed Deum præsciuisse me peccaturum, est aliquid præteritum, sicuti etiam quod ab æterno vera fuerit hæc propositio, *peccabo*: ergo illud peccatum futurum non est amplius in potestate mea, sicuti non est amplius in mea potestate, quod heri non peccauerim. Quis ergo dicat peccatum crastinum mihi nunc esse liberum, si tam est impossibile mihi nunc ut non peccauerim heri.

A Resp. concedendo, quod peccatum Petri ex suppositione, quod futurum sit cras, est prorsus inimpedibile; nam est impossibile rem præteritam non esse præteritam, & rem futuram non esse futuram; sed ea est necessitas tantum sequens. Ad argumentum ergo, concedo maiorem: illud quod est præteritum, ex suppositione, quod sit præteritum, non est amplius in hominis potestate: sed Deum præsciuisse me peccaturum, est aliquid præteritum ex suppositione quod sum peccaturus, concedo; ergo illud peccatum non est in potestate mea ex suppositione, quod illud sit præscitum & futurum concedo consequenter; sed quia peccatum non est præscitum & futurum nisi ex suppositione libertatis, ideo illa est tantum necessitas sequens.

B Verum, quia manet adhuc scrupulus, quia tam videtur esse impossibile mihi ut non peccem cras, quam est impossibile ut non peccauerim heri: sicut ergo nemo dixerit, esse mihi nunc procurandum ut non peccauerim, sic neque mihi est curandum ut non peccem cras, cum hæc utraque sit suppositio præterita.

C Resp. esse impossibile prorsus ex suppositione quod sum peccaturus cras, ut non peccem cras; sed nego esse tam impossibile ac inuitabile, ut non peccem cras, quam est impossibile ac inuitabile ut heri non peccauerim. Ratio est, quia illa necessitas ex suppositione de præterito quod peccauerim heri, est simpliciter inpositio de præterito, & non dicit ordinem ad aliquid quod nunc absolute sit in mea potestate; vnde nunc est simpliciter inuitabile mihi ut heri non peccauerim: necessitas autem ex suppositione de præterito, quod Deus præsciuerit me cras peccaturum, vel quod ab æterno futurum sit ut cras peccem, non est suppositio simpliciter de præterito, sed ita est suppositio de præterito, ut dicat ordinem ad aliquid futurum, quod ita penderet à mea libertate, ut si ego vellem, non esset; atque adeò non esset suppositio illa de præterito. Vide quæ dixi agens de scientia Dei.

Et hinc soluitur alia illa difficultas, an possit homo nunc facere ut Deus non præsciuerit id quod præsciuit. Resp. me nunc id posse facere absolute, consequenter autem, & ex suppositione quod Deus præsciuerit, non possum facere ut non præsciuerit.

Instabis quartò afferens molestissimum illud dilemma: *Si Deus præsciuit me peccaturum, haud dubiè quidquid agam, peccabo; cur igitur torquero me ad vitandum peccatum?*

E Resp. simile dilemma fieri posse: *Vel Deus prævidit futuram in agro tuo messem, vel prævidit non futuram. Si prævidit, inutile est iacere sementem, quia quod Deus prævidit non potest non euenire.* Cum miles proficiscitur ad bellum, dici ei posset: Si Deus prævidit te moriturum, est inutile te ferre arma, quia morieris haud dubiè: si non prævidit te moriturum, non morieris; ut quid ergo de ferendis armis cogitabis? Est enim similis insania dicere: Si prævidit me peccaturum, peccabo, &c. quidquid agam, distinguo; ex suppositione quod Deus viderit me peccaturum, peccabo quidquid agam, concedo; peccabo necessariò absolute, nego; Deus enim videt me peccaturum, quia sum peccaturus. Idem ergo est dicere: Si vidit Deus me peccaturum, peccabo; ac dicere: Si sum peccaturus, sum peccaturus; quod est vanum dicere.

Instabis

Augetur difficultas.

Potest homo facere ut Deus non præsciuerit quod præsciuit.

Molestum dilemma







## SECTIO I.

## De natura discursus.

**C**ertum est, discursum, & argumentationem idem significare; consequentiam verò esse aliquid generalius quàm discursum; licet enim omnis discursus sit consequentia, non tamen contra omnis consequentia est discursus, sed illa sola, quæ habet notam illationis, scilicet, *Ergo*; vt patet ex dictis olim, vbi definitionem, diuisionem & regulas consequentiarum exposui, quas non repero.

Discursus definitio.

Dico primò. Discursus est actus iudicarius, quo intellectus infert vnum ex alio, per particulam, *Ergo*. Vide dicta *sect. tertia Phari, puncto secundo*.

Obserua primò, tripliciter posse cognosci à nobis plura obiecta. Primò in alio: secundò post aliud: tertio ex alio. Tunc vnum dicitur in alio cognosci, quando aliquid est ratio formalis, & medium, in quo eadem cognitione cognoscitur aliud. Ita multi putant creaturas cognosci à Beatis in Deo, tanquam in medio & speculo representante omnia, quod à Concilio Senonensi vocatur *Speculum vniforme*. Tunc vnum cognoscitur post aliud, quando cognitio vnus sequitur cognitionem alterius, non tamen vna est causa alterius, v. g. cum dico, *Homo est rationalis*; & deinde, *Homo est risibilis*: & hæc operatio non est propriè discursus, nisi fortasse *secundum successionem*, vt vocat S. Thomas *prima parte, quasi. quatuordecima, art. septimo*. Tunc vnum cognoscitur ex alio, cum vnum cognoscitur dependenter à cognitione alterius, per plures cognitiones inter se connexas, vt cum dicitur, *Homo est rationalis: ergo est risibilis*. Tunc enim, vt vides, secunda propositio non solum sequitur post aliam, sed sequitur ex alia; quod denotatur per particulam, *Ergo*, quæ propterea dicitur *illativa*, quia denotat vnā propositionem sequi & inferri ex alia. Illa, quæ infertur, dicitur consequens; illa, ex qua infertur, dicitur antecedens. Hæc operatio vocatur à S. Thoma, *Discursus secundum causalitatem*.

Distinguitur à simplici apprehensione, & quomodo.

Ab enunciatione quomodo distinguatur.

Quæ ad discursum exigantur.

Obserua secundò, in hoc distingui discursum à simplici apprehensione, quòd discursus sit cognitio iudicativa, qua intellectus determinatè affirmat, aut negat aliquid; & à iudicio simplici (quod diximus olim esse proprium Dei, & Angelorum) quòd iudicium simplex sit vnica operatio indiuisibilis; discursus autem necessariò includat multas operationes realiter distinctas inter se. A iudicio compositiui, siue ab enunciatione differt, quia iudicium compositiuum est cognitio determinata, siue dependentia ab antecedente; discursus autem sit cognitio determinata dependenter à præmissis, siue includens præmissas, ex quibus infertur; quæ dependentia denotatur per particulam, *Ergo*. Ex quibus omnibus tota proposita definitio satis explicata manet. Videndum duntaxat est ex ea definitione, quæ exigantur necessariò ad discursum.

Dico secundò. Ad discursum necessariò requiruntur plures operationes realiter distinctæ, quarum vna sit notior aliâ, & prior, non tempore, sed naturâ. Contra Durandum, & alios.

**A** Ratio, cur discursus exigit plures operationes realiter distinctas, est quia antecedens, vt mox dicam, debet esse causa consequentis, & est aliquid notum, per quod deuenitur in cognitionem consequentis ignoti. Ergo antecedens, & consequens debent realiter distingui. Deinde iudicium illatum distinguitur à iudicio simplici, quod Deo conuenit; sed non distinguitur si vnica habeat operationem iudicatiuam: ergo habet necessariò plures operationes realiter distinctas, quod etiam indicat nomen discursus; est enim quasi cursus ab vna cognitione in aliam; nam intellectus noster discurrendo imitatur progressum localem, vt bene notat Albertus; sicut enim currendo, necessariò fiunt plures passus, quorum vnus sequitur alium, eo quod vnico passu totum spatium emetiri nequeamus; ita mentaliter discurrendo plures operationes elicimus à notis ad ignota, quia vnica cognitione totum obiectum adæquare non possumus; res enim cognoscimus abstractiue tantum, inadæquate, & confusè.

Obiicies, posse voluntatem eodem actu appetere finem & media; eodem autem modo se habent antecedens, & consequens, sicut finis & media: ergo eodem actu cognoscitur antecedens, & consequens. Sed hoc commodius soluetur *sect. quarta*, sicut etiam quod dicitur, obiectum materiale, & obiectum formale cognosci eodem actu.

**C** Ratio cur antecedens debeat esse notius consequente, & prius naturâ, est quia antecedens deducit in cognitionem consequentis, & est causa illius: ergo debet esse notius & prius, saltem naturâ; non debet autem esse necessariò prius tempore, vt bene docent Scotus, Vafq. Molina, Bañez & Auerfa; quia in eodem intellectu possunt simul esse plures actus, vt alibi demonstrabitur, quamuis ordinariè antecedens sit etiam prius tempore, quàm consequens, vt patet experientiâ; prius enim solemus elicere præmissas, deinde conclusionem. Neque dicas sequi, quod idem simul cognoscitur distinctè, & confusè; hoc enim potest fieri per diuersas cognitiones, non autem per vnica.

**D** Dico tertio. Antecedens necessariò est causa efficiens consequentis, non directè illud producens, sed illuminans intellectum, & per naturalem consequentem inclinans illum ad conclusionem eliciendam. Contra Hurtad. *disp. septima, de anima, sect. octaua*, qui putat præmissas causare conclusionem in genere causæ formalis; quem sequitur Arriaga *disp. decimaquinta, sect. quinta*.

Ratio cur antecedens causet aliquo modo conclusionem, est quia conclusio infertur ex antecedente: ergo antecedens causat conclusionem. Ratio cur causet effectiue, est quia præmissæ mouent, & impellunt intellectum ad assensum conclusionis, sed hic modus causandi pertinet ad causam effectiuam: ergo causant effectiue. Præterea si assensus præmissarum esset causa formalis conclusionis, positis præmissis, non posset suspendi conclusio; quod esse falsum inferius declarabitur.

Quod autem antecedens non causet directè conclusionem, illam producendo, ratio est, quia vnus actus nunquam producit alium; & quia intellectus positus præmissis sufficienter completus est ad conclusionem eliciendam: ergo non indiget alio, à quo producat conclusio.

Neque

Prima ratio.

Obiectio.

Antecedens causa efficiens consequentis.

Ratio.

Non causat directè conclusionem.



# Disp. IV. Quæst. vnic. de Argumentatione. 65

Neque dicas, speciem impressam necessariò concurrere producendo ipsam cognitionem, non autem tantum illuminando intellectum: ergo præmissa conclusionem ipsam effectivè producant. Nego enim paritatem, quia species impressa, cum non cognoscantur, non possunt illuminare intellectum, nisi producendo ipsam cognitionem, ut alibi declarabitur. Quomodo autem tum antecedens, tum consequens sit de essentia discursus, colligetur ex dicendis de syllogismo.

Conclusio quarta negatiua. Dico quartò. Discursus non diuiditur in syllogismum, enthymema, inductionem & exemplum, tanquam in species distinctas; sed solus syllogismus est verus, & formalis discursus; enthymema, inductio, & exemplum non sunt discursus, & consequentiæ formales, nisi quatenus ex illis potest fieri syllogismus. Ita Hurtad. disp. decima. Conimb. hic cap. primo, sect. secunda, art. tertio.

Prima ratio. Ratio est, quia tunc non est discursus, quando vnum non inferitur ex alio per consequentiam formalem: sed enthymema, inductio, & exemplum non inferunt vnum ex alio per consequentiam formalem, nisi ex illis fiat syllogismus, saltem virtualiter. Ergo non sunt discursus formales distincti à syllogismo. Probatur minor. Ut aliquid inferatur ex alio per consequentiam formalem, necesse est ut prædicatum, & subiectum vniantur prius cum aliquo tertio. Sed non vniuntur nisi in syllogismo: ergo in solo syllogismo est consequentia formalis, atque adeò verus discursus; in aliis autem argumentationibus non est consequentia formalis, quia non concludunt vi formæ; sed tantum materialis, quia concludunt tantum vi materiæ, nisi quatenus ex illis singularis potest fieri syllogismus, de quo multa nunc querenda sunt.

## SECTIO II.

### Essentia syllogismi.

Syllogismi definitio. Certum est primò, benè definiri syllogismum, est Oratio, in qua quibusdam positis, aliud quid à positis necesse est coningere, eo quod hoc sint. Id est, oratio, in qua ex præmissis rectè dispositis infallibiliter conclusio inferri potest; cuius explanationem repete ex Pharo.

Materia eius remotà. Certum est secundò, materiam remotam syllogismi esse tres terminos, qui ad omnem syllogismum necessariò requiruntur; maius extremum, minus extremum, & medium: materiam verò proximam esse tres propositiones, maiorem, minorem, & conclusionem; quia cum in syllogismo connexio prædicatum inter & subiectum inferatur ex vtriusque connexionem cum aliquo tertio, necesse est in syllogismo reperiri prædicatum & subiectum, quæ inter se connectantur; & medium, per quod connectantur: quod non potest fieri nisi in triplici propositione, quibus positis controuersum est, vtrum conclusio sit de essentia syllogismi: secundò vtrum sola: postremò, quomodo syllogismus sit simplex qualitas.

Conclusio materialiter sumpta est de essentia eius. Dico primò. Conclusio est de essentia syllogismi, etiam materialiter sumpta. Contra Val- lium quæst. secunda, capit. primo, & paucos alios, qui putant, solas præmissas esse de essentia syllogismi.

Ratio. Ratio est, quia discurre est cognoscere connexionem prædicati & subiecti, propter connexionem. R. P. de Rhodes curf. Philosoph.

A nem eorum cum medio: sed hoc tam includit conclusionem, quam præmissas; quia ut cognoscatur huiusmodi connexio, debet in vna propositione medium iungi maiori extremo; in alia idem medium iungi minori extremo; & demum maius & minus extremum inter se iungi: ergo syllogismus tam essentialiter includit conclusionem, quam præmissas; imò magis, ut postea declarabitur. Confirmatur, quia possunt syllogismi specie distincti habere præmissas easdem, ut Barbara, & Baraptilon: ergo syllogismus includit essentialiter conclusionem.

Obiicies primò. Effectus non est de essentia suæ causæ: sed conclusio est effectus syllogismi; syllogismus enim facit scire, id est facit conclusionem, quæ est actualis scientia: ergo conclusio non est essentialis syllogismo.

B Respondeo, nego minorem, quia conclusio est effectus præmissarum, non autem effectus syllogismi, sed pars illius; idè quando dicitur, Syllogismus facit scire, distinguitur; facit scire formaliter, sicut albedo facit parietem album, concedo; facit efficienter, nego. Neque infest, Aristotelem primo priorum dicere syllogismum constare duabus propositionibus, & tribus terminis; nihil enim voluit aliud Aristoteles, quam ostendere conclusionem virtualiter in præmissis contineri, ex quibus infallibiliter sequitur.

Obiicies secundò. Illud est tantum essentia syllogismi, quo solo variato, variatur essentia syllogismi: sed variatis solis præmissis variatur essentialiter syllogismus: ergo solæ præmissæ sunt essentia syllogismi.

C Respondeo, nego minorem; primò enim æquè variatur syllogismus variata conclusione, ac variatis præmissis. Deinde benè notat Valques, conclusionem formalem necessariò variari, variatis præmissis, etiamsi non varietur materialiter.

Dico secundò. Sola conclusio formalis, siue iudicium illatiuum est tota essentia syllogismi, est tota essentia syllogismi, prout syllogismus est tertia operatio; præmissæ autem non nisi connotatiue, & in obliquo sunt essentielles syllogismo.

Obserua, conclusionem sumi posse duobus modis. Primò materialiter, prout dicit solam connexionem prædicati & subiecti. Secundò formaliter, prout dicit connexionem prædicati, & subiecti propter connexionem vtriusque cum aliquo tertio. Conclusio materialiter sumpta neque connotat, ut vides; neque includit præmissas, neque ab illis dependet ut sic. Conclusio autem formalis dependet à præmissis, & illas connotat, imò fortassè includit, ut postea dicitur, & vocatur iudicium illatiuum, solèque explicari exemplo magnetis, qui ubi duas acus tetigit, illæ inter se connectuntur; ita ubi medium tetigit vtrumque extremum in præmissis, illa inter se connectuntur in conclusione; quam conclusionem formaliter sumptam contendo esse totam essentiam syllogismi in recto, præmissas autem non pertinere ad quidditatem syllogismi, nisi in obliquo.

E Ratio autem est, quia in eo formaliter consistit essentia syllogismi, per quod syllogismus differt à prima & secunda operatione: sed per solam conclusionem formalem syllogismus differt à prima & secunda operatione, quia præmissæ & conclusio ipsa materialiter sumpta præscindendo à iudicio illatiuo sunt tantum enunciationes: ergo sola conclusio formalis est essentialis syllogismo.

F 3 Obiicies



Obiectio  
prima.

Obiicies primò. In eo est ratio formalis syllogismi, quod est ratio formalis, & motuum assensus conclusionis: sed dispositio medij termini est causa & motuum assensus conclusionis: ergo dispositio medij termini, quæ in solis præmissis continetur, est ratio formalis syllogismi.

Eius solutio.

Respondeo distinguendo maiorem: Illud est ratio formalis syllogismi in recto, quod est motuum assensus conclusionis, nego; est ratio formalis syllogismi in obliquo, & connotatiue, concedo. Præterea dici posset, dispositionem medij termini, quatenus est in præmissis, non esse motuum assensus conclusionis, sed tantum quatenus est in conclusione, modo inferius explicando.

Obiectio  
secunda.

Obiicies secundò. Illud est ratio formalis syllogismi, & tota eius essentia, per quod essentialiter inter se differunt syllogismi: sed per dispositionem medij termini differunt inter se syllogismi essentialiter; nam figura, per quas essentialiter differunt syllogismi, sunt diuersæ dispositiones medij termini: ergo per præmissas syllogismi differunt essentialiter.

Solutio.

Resp. distingo minorem: sed per dispositionem medij termini syllogismi differunt essentialiter in recto, nego; differunt essentialiter in obliquo, concedo. Nam præmissæ sunt essentielles syllogismo. Secundò responderi potest, syllogismos inter se differre essentialiter per conclusionem formalem, non autem per dispositionem medij termini; nam diuersæ figuræ non differunt inter se essentialiter, quatenus sunt tertie mentis operationes, sed tantum quatenus sunt composita quædam physica, & includunt omnia, quæ dicunt tum in recto, tum in obliquo.

Neque dicas enthymema differre essentialiter à syllogismo; & tamen habere eandem conclusionem; nego enim enthymema habere eandem conclusionem formalem; vel si habeat eandem, non differt essentialiter à syllogismo secundum ea, quæ dicit in recto, sed secundum ea tantum, quæ dicit in obliquo. Et hinc clarè colligitur, nullum esse posse syllogismum purè apprehensiuum, cum tota essentia syllogismi sit iudicium illarium, sicut de enunciatione apprehensiuæ alias dictum est.

Conclusio  
tertia.

Dico tertio. Syllogismus secundum ea, quæ dicit tantum essentialiter, & in recto, est vna simplex qualitas: secundum ea verò quæ dicit tum in recto, tum in obliquo, non est vna simplex qualitas, sed triplex operatio distincta.

Ratio manifesta est ex dictis; in recto enim syllogismus dicit solam conclusionem formalem; in recto autem & in obliquo dicit conclusionem, & præmissas; quod constabit adhuc clariùs ex *sect. quarta*.

## SECTIO III.

*Præmissæ syllogisticæ, siue artificiosa compositio syllogismi.*

Principia  
intrinseca  
syllogismi  
quænam  
sint.

Certum est primò ex dictis aliis, principia formalia intrinseca syllogismi (quæ communiter vocantur artificialis forma syllogismi) esse *figuram*, & *modum*; ita vt quando syllogismus est in *figura*, & *modo*, dicatur esse artificiosè compositus, nec possit negari conclusio. Tota igitur syllogismi artificiosa compositio est ponere discursum in debita *figura*, & *modo*.

Tres figuræ.

Certum est secundò, figuras communiter numerari tres; modos autem in singulis figuris plures, vt alibi dictum est: quibus suppositis, quæ

A hoc loco repetenda non sunt, sicut neque regulæ tum generales, tum speciales syllogismorum, controuertitur primò, vtrum sint tantum tres figuræ, an verò admitti debeant plures, & præsertim figura Galeni. Secundò vtrum in sola prima figura dentur modi indirecti: reliqua ex Pharo petes.

Dico primò. Figuræ syllogisticæ naturales sunt tantum tres, nec plures inueniri possunt viles.

Obserua, duobus modis posse conclusionem sequi ex præmissis. Primò naturaliter: secundò præternaturaliter. Naturaliter sequitur conclusio, quando auditis præmissis animus statim fertur ad talem conclusionem; quod accidit quando extremum, quod fuit in maiori, est prædicatum conclusionis. Præternaturaliter sequitur conclusio, quando positæ præmissis sponte sua non fertur animus ad illam eliciendam. Quod accidit quando minus vniuersale prædicatur de magis vniuersali, seu quando illud extremum quod fuit in maiori, non est prædicatum conclusionis. His positis.

B Ratio conclusionis est, quia tot dantur figuræ naturales, quot dantur dispositiones medij termini, ex quibus sequatur conclusio necessariò, & naturaliter: sed triplex tantum reperitur dispositio medij, ex qua sequatur conclusio necessariò & naturaliter, quia medius terminus non potest aliter disponi, quam vt in vna præmissa subiiciatur, in altera prædicetur, vel in vtraque prædicetur, vel in vtraque subiiciatur: ergo tres tantum sunt figuræ syllogisticæ. Quod ex illis dispositionibus mediis sequatur conclusio necessariò, probabitur *sect. quarta*, cum ostendetur quibus principiis nitatur veritas conclusionis formalis. Quod autem sequatur naturaliter, probò. Tunc conclusio sequitur naturaliter, quando illud extremum, quod fuit in maiori, est prædicatum conclusionis: sed in tribus figuris hoc contingit: ergo tres figuræ concludunt naturaliter.

C Obiicies. Isti syllogismi non spectant ad vllam ex tribus figuris. Primò: Nullum non viuens est homo: nullus lapis est viuens: ergo nullus lapis est homo. Secundò: Omne non viuens est non homo: nullus lapis est viuens: ergo nullus lapis est homo. Tertiò: Si nullus homo esset sensitiuus, nullus homo esset animal: sed omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitiuus.

D Resp. illos syllogismos vel non esse in forma, vel pertinere ad vnam ex tribus figuris. Nam primus quidem habet quatuor terminos, non viuens, homo, lapis, viuens. In secundo verò sunt quinque, non viuens, non homo, lapis, viuens, homo. Tertius autem est in *Barbara*, quia illa maior: Si nullus homo esset sensitiuus, nullus homo esset animal, implicite continet illam, Omne sensitiuum est animal, & illi æquiualeat, vt constabit ex dicendis *sect. quinta*, de syllogismo hypothetico. Atque ita hic syllogismus constat saltem æquiualeat ex tribus affirmatiuis vniuersalibus.

E Obiicies, etiam syllogismum expositorium non contineri in vlla ex figuris Aristotelicis. Verum Aristoteles loquebatur tantum de syllogismis scientificis; expositorium autem non curauit; quia de singularibus non est scientia: naturam tamen huius syllogismi exponemus *sect. quinta*. Præterea potest obici figura Galeni, quæ videtur esse distincta à tribus Aristotelicis: sed vt dissoluam.

Dico secundò. Figura Galeni, licet necessariò concludat, non est tamen naturalis, nec figura distincta à prima.

Obserua,

Tres tantum  
sunt figuræ  
syllogisticæ.  
Conclusio  
duobus  
modis ex  
præmissis  
sequitur.

Obiectio.

Eius solutio.

Obiectio  
secunda, &  
eius solutio.Figura Ga-  
leni non est  
naturalis.



# Disp. IV. Quæst. vnic. de Argumentatione. 67

Obserua, Galenum, vt refert Auerroës ( nec enim apud Galenum reperitur ) & tueretur ambitionem totius Medicorum Senatus, nouam quandam figuram voluisse inducere oppositam primæ figuræ. Nam cum prima figura medium terminum subiiciat in maiori, & prædicet in minori, figura Galeni medium terminum prædicat in maiori, & subiicit in minori; conclusio verò particularis est, & indirecta; vt, *Omne animal est sensitiuum: ergo aliquod sensitiuum est homo.* Quamuis, vt bene notat Mend. *disp. prima*, possit conclusio illa corrigi, & totidem modis hæc figura concludere, quot concludit prima figura, mutando semper maiorem in minorem. Quod inuentum puero etiam obuium, indignum videtur tanto ingenij Principe, suamque Archiatro.

Ratio est, quia falsò dicitur illa figura distincta esse à prima, quæ habet dispositionem medij eandem: sed figura Galeni habet eandem dispositionem medij cum prima figura: ergo falsò dicitur distingui à prima. Probo minorem. Prima figura exigit tantum vt medium semel subiiciatur, & semel prædicetur: sed figura Galeni hoc habet: ergo habet eandem dispositionem medij cum prima figura. Maior clara est, quia ordo diuersus pronuntiationis non potest facere distinctionem essentialem inter dispositionem medij: atqui figura Galeni habet tantum diuersum ordinem pronuntiationis: ergo non facit distinctionem essentialem, sed differt à *Buralipton*, sicut *Cesare* à *Camestres*.

Confirmatur. In figura Galeni maior subiicit medium, & minor prædicat: ergo est eadem cum prima. Probo antecedens. Maior propositio illa est, quæ est vniuersalior: sed figura Galeni necessariò debet in propositione vniuersaliori subiicere medium, & in minus vniuersali prædicare: ergo subiicit in maiori, & prædicat in minori, saltem in modis particularibus, cui respondent *Darii*, & *Eerio*. Quod autem hæc figura non sit naturalis, probatur ex eo quod concludat indirectè.

Dico tertio. Præter quinque modos indirectos primæ figuræ, admittendi sunt etiam in secunda & tertia figura modi indirecti, saltem in modis concludentibus vniuersaliter negatiuè, vel particulariter affirmatiuè.

Ratio est, quia illi modi sunt indirecti, in quibus id, quod in quæstione fuit prædicatum, est subiectum conclusionis. V. g. petitur vtrum homo sit animal? conclusio erit directa, si habeat: *Ergo homo est animal*; indirecta verò si habeat: *Ergo animal est homo*. Vel si maui, illi dicantur modi indirecti, quando extremum, quod fuit in maiori propositione, est subiectum conclusionis: sed hoc in secunda, & tertia figura potest fieri, sicut in prima: ergo in secunda, & tertia figura possunt esse modi indirecti sicut in prima. Probo minorem. In *Cesare*, sic fieri potest argumentum: *Nul-lus homo currit: omnis leo currit: ergo nullus homo est leo*. In tertia figura potest formari hoc argumentum in *Disantis*, sic: *Aliquis homo currit: omnis homo est albus: ergo aliquod currens est albus*. Et sic de alijs.

Obiicies primò, Aristotelem nullos attulisse modos indirectos pro secunda & tertia figura. Deinde modus indirectus est quando id, quod non fuit prædicatum, vel subiectum in præmissis, prædicatur vel subiicitur in conclusione: sed hoc non potest fieri in secunda figura, quæ bis prædicat medium: nec in tertia figura, quæ illud bis subiicit; semper enim id quod fuit prædicatum in præmissis, prædicatur in conclusione in tertia fi-

gura; & quod fuit subiectum in præmissis, subiicitur in conclusione secunda figuræ: ergo in secunda & tertia figura non sunt modi indirecti.

Resp. Aristotelem non attulisse modos indirectos secunde, & tertiæ figuræ, quia fuisset inutile illos dicere. Ad argumentum autem nego maiorem, quia modus indirectus ille est, quando illud extremum, quod fuit in maiori, non est prædicatum conclusionis.

Obiicies secundò. Sic multa fieri possunt sophismata, quibus responderi non potest; vt, *Om-nis homo est cognoscibilis à Deo: nullus homo est Angelus. Ergo aliquis Angelus non est cognoscibilis à Deo*. Et alia multa huiusmodi possunt fieri.

Resp. illud argumentum non esse in forma, quia prædicatum, *cognoscibile à Deo*, quod distributum non fuit in præmissis, distribuitur in conclusione; sicut cum dicitur, *Omne animal est sensus capax: omne animal est substantia: ergo omnis substantia est sensus capax*. Ratio autem, cur prædicatum illud *cognoscibile à Deo*, non distribuatur adæquatè in maiori, est quia est prædicatum propositionis affirmatiuæ, quod nunquam adæquatè distribuitur in conclusione, quia est prædicatum propositionis negatiuæ. Alia de figuris, & modis illarum carent difficultate, præter illarum regulas, quarum aliquas expendemus *scilicet quinta*.

## SECTIO IV.

*Essentia, & proprietates conclusionis formalis.*

Conclusio formalis, vt diximus, est in recto totus syllogismus, cuius natura, & proprietates vt cognoscantur, expendenda sunt quinque, vtrum scilicet conclusio formalis sit vnus actus, an verò plures: an includat præmissas, & in illis includatur: an sequatur necessariò positæ præmissis: an sequatur debiliorem partem præmissarum: an, & quare sit infallibilis.

### §. I.

*Vtrum conclusio formalis sit vnus actus.*

Deo primò. Iudicium illatiuum, siue conclusio formalis, est realiter vnus actus, virtualiter tamen multiplex, includens in actu exercito iudicium consequentiæ, & consequentis. Ita *Comimb. primo postea o. primo, quæst. tertia. ari. quinto. Gillius lib. secundo, tract. 4.* contra plures Philosophos, & Theologos, qui putant in omni conclusione formali ( v. g. in hac: *Ergo Petrus est rationalis*, ) necessariò duos actus interuenire realiter distinctos, quorum vnus vocetur iudicium consequentiæ, quo iudicamus conclusionem sequi ex præmissis; alter vocetur iudicium consequentis, quo iudicamus conclusionem esse veram: quod nos negamus.

Ratio autem est primò, quia sicut actus fidei diuina, quo credimus v. g. Christum resurrexisse, quia Deus dixit, est vnus simplex actus, quo credimus ipsam resurrectionem, & reuelationem, tanquam motiuum illius credendæ; ita eodem modo vnus est actus, quo assentimur conclusioni propter præmissas, ex quibus sequitur conclusio; & ipsi iudicio consequentiæ. Vnde sic argumentor vniuersaliter. Obiectum materiale, & obiectum formale cognoscuntur eodem actu: sed iudicium consequentiæ, saltem virtualiter, est obiectum formale,

Eius solutio.

Obiectio 1.

Eius responsio.

Proprietates conclusionis formalis.

Conclusio formalis est realiter vnus actus.

Probatur primò.

In 2. & 3. figura modi indirecti admittendi.

Ratio.

Obiectio 1.



# 68 Philosophiæ Peripateticæ Liber I.

& motuum assensus conclusionis: ergo cognoscitur eodem actu, quo iudicium consequentis. Neque dicas hinc sequi, præmissas & conclusionem esse unum actum. Nego enim præmissas esse motuum assensus conclusionis, nisi quatenus confusè continentur in ipsa conclusione, sicut postea declarabitur.

Secundo. Secundò, quacumque simplici cognitione intellectus possumus cognoscere dependentiam unius ab alio, & ens dependens: sed consequentia est velut dependentia, & consequens velut dependens: ergo eadem cognitione consequentiam, & consequens cognoscere possumus.

Tertiò. Tertiò, Ratio à priori est, quia conclusio formalis non includit formale iudicium consequentiae, sed solum virtuale; id est, non exigitur in syllogismo, ut reflexè, & in actu signato cognoscam conclusionem ex præmissis bene inferri: ergo conclusio formalis non est duplex actus, sed unus. Consequentia clara est: probo antecedens. Intellectus sufficienter determinatur per præmissas ad eliciendam conclusionem; nam in illis euidenter continetur identitas prædicati & subiecti, saltem virtualiter: ergo non requirit reflexum, & formale iudicium consequentiae, sicut non requiritur ut voluntas reflexè feratur in bonum sub ratione amandi, ut possit illud amare. Neque dicas hinc sequi, conclusionem non esse intrinsecè conclusionem, sed tantum per denominationem extrinsecam; quod absurdum est. Nego enim hoc sequi, quia conclusio est intrinsecè conclusio, eo quod virtualiter, & in actu exercito includat iudicium consequentiae, & ipsas præmissas, modo explicando.

Obiicies primò. Omnis causa distinguitur à suo effectu: sed iudicium consequentiae est causa iudicij consequentis: ergo ab eo distinguitur.

Resp. primò, nego minorem, quia, ut mox dicebam, præmissae sunt causa iudicij consequentis: iudicium autem consequentiae non necessariò reperitur in syllogismo. Secundò distinguitur maior: Omnis causa efficiens distinguitur à suo effectu, concedo; omnis causa formalis, nego: nam forma v. g. Angeli est ipsamet eius essentia: ergo causa formalis non necessariò distinguitur à suo effectu formali: iudicium autem consequentiae, quod reperitur in conclusione syllogismi, non est causa efficiens, sed causa formalis iudicij consequentis.

Obiicies secundò. Idem iudicium non potest esse simul verum & falsum: sed iudicium consequentiae sæpè verum est, quamvis sit falsum iudicium consequentis, ut in syllogismis illatiis: ergo non est unus actus.

Confirmatur. Potest reperiri iudicium consequentiae sine vilo iudicio consequentis, cum v. g. iudicamus præmissas esse falsas, & tamen conclusionem bene ex illis sequi: ergo illa duo iudicia distinguuntur.

Respondco, distingo maiorem. Impossibile est aliquod iudicium esse verum formaliter, & falsum formaliter, concedo: esse verum formaliter, & materialiter falsum, nego. Sed iudicium consequentis est sæpè falsum in syllogismis illatiis, vero existente iudicio consequentiae, distingo minorem; est falsum materialiter, concedo; est falsum formaliter, nego; quia iudicium consequentis est veluti obiectum materiale; iudicium autem consequentiae est veluti obiectum formale.

Ad confirmationem concedo, posse aliquando reperiri iudicium consequentiae sine iudicio conse-

quentis: in hoc v. g. syllogismo illatiis: Omne A, est B: omne B, est C: ergo omne C, est A. Et contrà, posse reperiri iudicium consequentis sine iudicio consequentiae, ut in syllogismis, qui non sunt in forma, sed concludunt ratione materiae. Et tunc fateor iudicium consequentiae distingui à iudicio consequentis; sed nego illa iudicia semper distingui, quamvis possint distingui. Eadem est responsio si dicas, non posse idem iudicium esse simul affirmatiuum, & negatiuum: sed si iudicium consequentiae sit unus actus cum iudicio consequentis, idem actus erit affirmatiuus, & negatiuus; si enim conclusio sit negatiua, iudicium consequentis est negatiuum, iudicium verò consequentiae affirmatiuum: ergo non potest idem actus esse iudicium consequentis, & consequentiae. Primò enim distingo maiorem: non potest idem iudicium esse formaliter affirmatiuum, & formaliter negatiuum, concedo; materialiter negatiuum, & formaliter affirmatiuum, nego. Secundò nego, iudicium consequentiae necessariò reperiri formaliter in conclusione formali: potest autem iudicium esse formaliter negatiuum, & affirmatiuum virtualiter.

## §. II.

An conclusio includat præmissas, & in illis includatur.

Conclusio saltem confusè includit præmissas. Dico secundò. Conclusio includit necessariò præmissas actu, & formaliter, saltem confusè; in præmissis autem non continetur actu, sed virtualiter. Ita Ruuius *quest. sexta*, Arriaga *fusè sect. quarta*: contra multos, quorum aliqui dicunt, præmissas in conclusione includi tantum habitu, ut Vasquez, Fonseca, &c. Alij autem dicunt includi virtualiter & connotatiue; tribus enim modis conclusio potest includere assensum præmissarum. Primò, habitu, quia ubi præterierunt, relinquunt in intellectu habitum scientificum facilitantem ad eliciendos similes actus. Secundò virtualiter, quatenus conclusio connotat præmissas, à quibus pendet. Tertiò formaliter, si intellectus actu cogitet de præmissis, saltem confusè, dum infert conclusionem; quod vltimum asserimus.

Ratio est, quia conclusio est intrinsecè, & essentialiter conclusio: sed non potest esse conclusio intrinsecè, & essentialiter, nisi in conclusione actu cognoscantur præmissae: si enim extrinsecè tantum illas connotet, & ab illis pendeat, poterit hæc dependentia, & connotatio separari ab illa: ergo conclusio includit necessariò præmissas. Probatior maior. Si conclusio non esset intrinsecè conclusio, non esset maior ratio, cur conclusio esset potius conclusio, quam præmissae in omni syllogismo expository, ut cum dicitur: *Hic homo est fur: Petrus est hic homo: ergo Petrus est fur*. Potest enim conclusio esse præmissa, si dicas: *Petrus est fur: Petrus est hic homo: ergo hic homo est fur*.

Secundò, & à priori, particula, *ergo*, necessariò significat aliquid quod cognoscatur actu: sed non cognoscitur formaliter dependentia à præmissis: ergo non significat solam dependentiam à præmissis, sed ipsas præmissas.

Tertiò: obiectum materiale, & obiectum formale cognoscuntur eodem actu, v. g. in actu fidei non possum cognoscere articulum propter reuelationem, quin eodem actu, saltem confusè, cognoscam reuelationem: sed connexio prædicati & subiecti cum medio est obiectum formale assensus conclusionis:

Obiectio prima.

Eius solutio.

Obiectio secunda.

Eius, & confirmationis solutio.

Conclusio saltem confusè includit præmissas.

Probatior primò.

Secundò.

Tertiò.



# Disp. IV. Quæst. vnic. de Argumentatione. 69

conclusionis : ergo obiectum præmissarum cognoscitur necessariò in conclusione.

**Quartò.** Præmissæ syllogismi non tantum ostendunt evidenter connexionem prædicati cum subiecto, sed etiam rationem illius connexionis, quæ in præmissis continetur : ergo intellectus in conclusione non solum cognoscit connexionem prædicati & subiecti, sed rationem motiuam illius, scilicet præmissas.

Confirmatur. Quando intellectui proponitur evidenter aliqua connexio duorum cum tertio, necessariò illam cognoscit : sed per præmissas evidenter proponitur intellectui veritas conclusionis vt connexa cum veritate præmissarum : ergo necessariò illam cognoscit.

**Primo.** Denique præmissæ causant conclusionem illuminando intellectum, & illum inclinando ad eliciendam conclusionem : sed non possunt illuminare intellectum, quando non sunt : ergo cum elicitur conclusio, præmissæ debent esse in intellectu, saltem confusè.

**Obiectio prima.** Obiicies primò. Si assensus conclusionis includeret obiectum præmissarum, nunquam possemus recordari conclusionis, quin recordaremur etiam præmissarum, quod est contra experientiam.

Respondeo, nunquam nos posse recordari conclusionis elicite, quin confusè recordemur præmissarum; neque hoc est contra experientiam.

Neque dicas. Sæpe recordamur alicuius conclusionis, aliàs demonstratæ, quamvis non recordemur medij, per quod demonstrata est; & tamen illi statim assentimur.

**Solutio.** Resp. tunc fieri syllogismum in mente, propter quem assentimur conclusioni, quamvis non recordemur præmissarum : ille autem syllogismus est: *Quidquid est à me aliàs demonstratum, verum est: hæc conclusio à me demonstrata est aliàs: ergo vera est.*

**Obiectio 2.** Obiicies secundò. Si conclusio includit actum obiectum præmissarum, frustra eliciuntur præmissæ, sed conclusio sufficit.

**Solutio.** Respondeo, nego sequelam; quia conclusio non potest repræsentare obiectum præmissarum, & suum, quin præcesserint præmissæ. Neque dicas, esse absurdum, & contra experientiam dicere, repeteri præmissas in conclusione. Dico enim, illas repeteri mentaliter, saltem confusè in conclusione. Nam id, quod in mente respondet particula, ergo, sunt ipsæ præmissæ confusè cognitæ.

**Obiectio 3.** Obiicies tertio. Potest aliquando ex falsis præmissis sequi vera conclusio : ergo si conclusio includat præmissas, erit vera, & falsa simul.

Respondeo, tunc conclusionem esse veram, & falsam respectu diuersorum : veram quatenus attingit obiectum conclusionis; falsam autem quatenus attingit obiectum præmissarum.

## S. III.

*Utrum conclusio sequatur necessariò ex præmissis.*

**Deo primò.** Positis præmissis intellectus necessitatur ad eliciendam conclusionem necessitate specificationis, non necessitate tamen secundum exercitium, si à voluntate impediatur, vel ab alia aliqua vehementi distractione. Ita communiter recentiores cum Ruino *primo poster. cap. primo, quæst. octaua.* Aueris *quæst. 25. Lorca lect. tertia:* contra Sanctum Thomam *prima parte, quæstion. 82. art. secundo*, & sæpe alibi; Scorum in

**A** *primum, dist. prima, quæst. quarta, Durandum; & Fonseca, sexto Metaph. cap. primo, quæst. 4. sect. quarta, Conimb. primo poster. c. primo, q. 4. art. quarte. Hurt. disp. septima, de anima, sect. quarta, Atriag. disp. 15. lect. sexta.*

**B** Oblerua primò, in homine solam voluntatem esse potentiam liberam intrinsecè, quia sola habet potentiam agendi, & non agendi in sensu commposito; alias tamen potentias esse liberas extrinsecè, quatenus subduntur imperio voluntatis, quæ tribus modis se habet circa potentias. Primò enim aliquibus imperat despoticè, id est absolute, sine vlla rebellionem, v. g. potentia motrici voluntas ita imperat, vt si velim mouere manum, illicò manus necessariò moueri debeat sine vlla resistentia. Secundò aliis potentiis imperat politicè, id est cum aliqua difficultate, v. g. appetitus sensituius, imaginatio, & intellectus obediunt quidem voluntati imperanti, sed resistere tamen aliquo modo possunt, & cum aliqua difficultate sequuntur imperium; sed tamen sequuntur. Tertio aliquæ sunt potentia, quibus nullo modo imperat voluntas, vt aures, oculi, alique sensus externi; si enim adfit sonus, necessariò audio; si calor tangat manum, necessariò sentio, &c.

Oblerua secundò, necessitatem ad agendum esse duplicem. Prima est quoad speciem, secunda quoad exercitium. Necessitas quoad speciem est cum aliqua potentia potest circa aliquod obiectum elicere actum talis speciei, & non contrarium; assensum v. g. & non dissensum; volitionem, & non nolitionem. Libertas illi opposita vocatur libertas contrarietatis, potentia scilicet faciendi hoc, vel illud ei contrarium. Necessitas quoad exercitium est qua necessariò elicitur actus, vt oculus necessariò videt. Libertas illi opposita dicitur libertas contradictionis, quam habet v. g. voluntas, quæ potest agere, vel non agere. Dicimus ergo in conclusione, intellectum, qui nullo modo est liber secundum se, subest tamen politico imperio voluntatis, positis præmissis non posse elicere assensum contrarium conclusioni, vel illam negare; posse tamen non elicere conclusionem, si vel voluntas imperet intellectui, & illam cohibeat, vel certè ad aliam vehementem cogitationem traducat.

**D** Ratio primæ partis est, quia falso clarè cognito, intellectus assentiri non potest : sed conclusio contraria conclusioni, quæ sequitur ex præmissis, est falsum clarè cognitum : ergo, non potest intellectus illi assentiri. Præterea vero clarè cognito non potest intellectus dissentiri : conclusio quæ sequitur ex præmissis, clarè cognoscitur vt vera : ergo intellectus illi non potest dissentiri. Ratio à priori est, quia obiectum intellectus est verum; ergo non potest per imperium voluntatis intellectus assentiri falso clarè cognito, sicut non potest voluntas ferri in malum cognitum.

Ratio secundæ partis, quæ sola negatur ab aduersariis, est quia voluntas imperat politicè intellectui, alioqui cogitationes prauæ non essent peccata, quia voluntas non posset eas impedire. Deinde voluntas non minus potest imperare intellectui, quàm phantasia, & appetitui sensitui: sed appetitui sensitui & phantasia potest imperare politicè : ergo & intellectui. Confirmatur primò, quia elicitis præmissis fieri potest vt intellectus tanta distractione cogitationem aliò auertat, vt de præmissis amplius non cogitet : sed tunc non eliciet conclusionem : ergo positis præmissis potest intellectus non elicere conclusionem, saltem si ex aliqua distractione cogitatio eius aliò applicetur.

Sola voluntas in homine libera est.

Necessitas ad agendum duplex.

Ratio primæ partis.

Ratio 2. partis.



ut lolemus phantasmam cohibere auertendo eam aliò. Confirmatur secundò. Ex iisdem præmissis potest sæpè diuersa conclusio inferri: tunc non elicitur duplex conclusio: ergo non inferitur vlla necessariò.

Obiectio 1.

Obiicies. Posita causa naturali, quæ habet omnia ad agendum requisita, necessariò sequitur effectus: sed intellectus est causa naturalis, & nullo modo libera, adfuntque omnia ad agendum requisita, positis præmissis: ergo necessariò ponitur conclusio positis præmissis.

Confirmatur. Intellectus posita certa & euidentia veritate, non est magis liber ad intelligendum, quam oculus ad videndum, vbi adest color illuminatus: sed tunc voluntas non potest impedire visum: ergo positis præmissis non potest voluntas impedire intellectum.

Eius solutio.

Resp. distingo maiorem. Posita causa naturali, quæ nullo modo est libera, etiam extrinsecè, sequitur necessariò effectus, concedo; posita causa naturali, quæ est libera extrinsecè, sequitur necessariò effectus, nego. Causa libera extrinsecè vocatur illa, quæ subest saltem politicè imperio libera voluntatis, qualis est intellectus, qui est causa naturalis; sed quia obedit politicè voluntati, dicitur liber extrinsecè. Vnde ad confirmationem nego paritatem; oculus enim nullo modo est liber, etiam extrinsecè, quia non subest imperio voluntatis, etiam politicè, vt experientia docet.

Instantia 1.

Instabis primò. Voluntas impedit intellectum, vel per subtractionem concursus, vel per actionem aliquam positiuam: neutrum dici potest: ergo non impedit.

Eius solutio.

Resp. intellectum neutro illo modo impediri à voluntate, sed per imperium, & sympathiam inter eas potentias; quæ sympathia efficit, vt ea, quæ subdita est, statim pareat imperio superioris, vt patet in potentia motiua respectu appetitus. Quid autem illa sit sympathia potentialium radicatarum in eadem anima, longa est disputatio, quæ hîc locum non habet.

Secunda.

Instabis secundò. Voluntas non potest imperare intellectui circa obiectum euidentem; v. g. intellectus non potest cogi, vt assentiatur falso cognito: sed positis præmissis etiam in materia probabili, euidenter sequitur conclusio: ergo voluntas non potest impedire conclusionem positis præmissis, saltem si feruetur in intellectu cogitatio præmissarum.

Eius solutio.

Resp. distingo maiorem. Voluntas non potest imperare intellectui circa obiectum euidentem secundum specificationem actus, concedo; secundum exercitium actus, nego: si enim imperaret secundum speciem actus, intellectus egrederetur extra totam sui obiecti latitudinem.

Tertia.

Instabis tertio. Voluntas non potest non amare bonum clarè cognitum: ergo nec potest intellectus non assentiri vero clarè cognito.

Eius solutio.

Resp. distingo antecedens. Voluntas non potest non amare summum bonum clarè cognitum, concedo; non potest non amare bonum clarè cognitum, quod non est summum bonum, nego: & idem dicendum est de summo vero; intellectus enim circa illud clarè cognitum non potest cohibere assensum, sed circa alia vera potest.

Quarta.

Instabis quarto. Si posset voluntas imperare intellectui cessationem actus, ad quem fertur per præsentiam obiecti, sequeretur per imperium voluntatis posse impediri visionem beatam intella-

ctus informati lumine gloriæ, quod est absurdum; sequeretur enim, beatitudinem esse necessariò perpetuam.

Resp. nego sequelam; ratio enim cur voluntas non possit impedire visionem beatam, est quia non potest velle cessationem illius visionis; in illa enim cessatione non potest apprehendere vllam rationem boni: ergo non potest illam velle, alioqui egrederetur extra totam latitudinem obiecti sui: potest autem apprehendere aliquam rationem boni in cessatione conclusionis, vnde illam potest impedire.

Instabis quinto. Quando obiectum est euidentem, intellectus non eget determinatione voluntatis; nam v. g. si videam Petrum præsentem, non est opus, vt voluntas mihi imperet, vt credam Petrum esse præsentem. Imò non potest imperare intellectui voluntas, ne assentiatur illum esse præsentem. Item si videam hominem ambulantiem, & aliquis dicat, *Homo ambulat*, non possum illi non assentiri: ergo positis præmissis euidentibus, non potest intellectus non elicere conclusionem.

Resp. determinationem voluntatis posse sumi vel positiuè, vel negatiuè. Sumitur positiuè quando voluntas imperat operationem. Negatiuè sumitur, quando voluntas non imperat cessationem ab actu. Intellectus non eget determinatione positiuâ voluntatis, vt opeatur circa obiectum euidentem; sed exigit determinationem negatiuam, id est exigit vt voluntas non imperet cessationem ab actu. Et hoc etiam in exemplis allatis verum est; nam v. g. si videam Petrum præsentem, potest voluntas aliò auertere cogitationem intellectus, & suspendere assensum illius circa præsentiam Petri.

Instabis sexto. Per formam syllogismi euidenter cognoscit intellectus obiectum præmissarum, & conclusionis esse idem; imò cognoscit præmissas & conclusionem idem esse: ergo si assentitur præmissis, & illarum obiecto, assentitur necessariò conclusioni, & illarum obiecto.

Resp. nego antecedens; obiectum enim præmissarum differt saltem ratione ab obiecto conclusionis; vnum enim inferitur ex alio: conclusio ex præmissis sequitur, sed non est idem quod præmissarum obiectum.

Instabis denique. Voluntas posita efficaci voluntate finis, & oblato necessario medio ad illum finem assequendum, non potest non velle hoc medium: sed vt se habent media & finis in agibilibus; ita principia & conclusio in speculatiuis: ergo positis principiis, intellectus necessariò fertur in conclusionem.

Resp. nego minorem. Disparitatis ratio est, quia voluntas efficax finis, vt sic, est voluntas medium; cognitio autem præmissarum distinguitur realiter à cognitione conclusionis.

#### §. IV.

*Verum conclusio sequatur semper debiliorem partem præmissarum.*

Deo quarto. Conclusio formaliter sumpta, & vt deducta, sequitur semper debiliorem partem præmissarum, quamuis sumpta materialiter, & prout explicata, possit esse perfectior præmissis. Id est, conclusio sequitur conditionem illius præmissæ, quæ est imperfectior: v. g. si vna præmissa est particularis, & altera vniuersalis, conclusio est particularis; si vna est affirmatiua, altera negatiua, conclusio

Satisfit.

Quinta.

Satisfit.

Sexta.

Satisfit.

Septima.

Satisfit.

Conclusio vt deducta sequitur debiliorem partem.



# Disp. IV. Quæst. vnic. de Argumentatione. 71

conclusio est negativa; si vna est evidens, altera probabilis, conclusio est probabilis; si vna necessaria, altera contingens, conclusio est contingens, &c. Ita omnes fere Philosophi post Aristotelem lib. primo priorum, cap. 9. & octavo. Vide Albertinum temo primo, quæst. 3. tota.

Conclusio  
duobus mo-  
dis sumitur.

Obserua primò, conclusionem syllogismi sumi posse duobus modis: primò formaliter, siue propterea quod est explicata per præmissas. Conclusio ut deducta, est quæ nititur discursu, tanquam ratione formali assentiendi; seu cui assentimur propter evidentiam discursus tanquam obiecti formalis. Conclusio ut explicata, est quæ supponit quidem discursum tanquam conditionem præuiam, sed non illo innititur, ut ratione assentiendi, sicut assentimur articulis fidei propter solam, & puram Dei reuelationem; non autem propter miracula, vel alia, quæ vocantur *Motiva credibilitatis*, licet illa necessariò prærequisita fuerint, ut scirem hos articulos esse reuelatos & credendos fide diuina. Breuius dici posset: Conclusio ut deducta, est conclusio secundum ea, quæ habet vi formæ: conclusio ut explicata, est conclusio secundum ea, quæ habet ab obiecto.

Communis  
regule ex-  
plicatio.

Obserua secundò, communem hanc regulam: *Conclusio sequitur deteriorem partem præmissarum*, explicari posse dupliciter. Primò enim Gillius lib. primo, tract. sexto, cap. tertio, ita illud explicat, *Conclusio sequitur deteriorem partem præmissarum*, non quòd sit æqualis præmissæ imperfectiori, sed quòd sit semper imperfectior quàm perfectior præmissa: sicut mulus altero parente imperfectior est, altero perfectior. Secundò ita communiter explicatur: *Conclusio sequitur deteriorem partem*; conclusio propterea quod est in syllogismo, & secundum ea, quæ habet vi formæ, non potest esse perfectior vllâ præmissâ, ex qua deducitur; sed si vna præmissa sit necessaria, & altera contingens, conclusio erit contingens; si vna præmissa sit evidens, altera verò probabilis, conclusio ex vi formæ erit probabilis; & ita de reliquis. Prima explicatio posset sufficere; secunda tamen communior est, & verior.

Ratio 1.

Ratio est primò, quia effectus non potest superare suam causam adæquatam: sed si conclusio esset perfectior aliquâ præmissâ, effectus superaret suam causam adæquatam; ergo non potest conclusio esse perfectior præmissâ imperfectiori. Probo minorem. Connexio prædicati & subiecti cum medio est indiuisibiliter tota causa cognoscendi connexionem prædicati & subiecti: sed si conclusio sit perfectior alterâ præmissâ, conclusio erit perfectior connexionem prædicati, & subiecti cum medio: ergo effectus erit perfectior suâ causâ adæquatâ. Probo minorem. Si conclusio sit perfectior alterâ præmissâ, connexio prædicati & subiecti erit perfectior connexionem prædicati & subiecti cum medio: sed connexio prædicati, & subiecti est conclusio: ergo conclusio erit perfectior totâ connexionem prædicati, & subiecti cum medio. Ratio ergo in eo si a est, quia cum intellectus connectere debeat extrema conclusionis, eo quod in præmissis coniunxerit illa cum medio, non potest melius, nec clariùs eadem extrema coniungere in conclusione, quàm in præmissis coniunxerit cum medio.

Ratio 2.

Alterâ ratio est, quia assensus conclusionis ita indiuisibiliter pendet ab vtrâque præmissâ, ut nullo modo influat vna sine alia; illud enim, quod influit, est vnica connexio medijs cum vtroque extremo: vnde fere tam imperfectè iunguntur inter se prædicatum, & subiectum, si vnum illorum im-

A perfectè iungatur medio, quàm si vtrumque imperfectè iungeretur.

Confirmatur hæc ratio in exemplo. Cum vna præmissa sit necessaria, & altera contingens, tunc conclusio est absolute contingens: quod probo. Tunc conclusio est absolute contingens, quando ratio connexionis est contingens: sed quando vna præmissa est contingens, tunc ratio connexionis est contingens: quod probo. Ratio connexionis est connexio cum medio termino: sed in his medijs terminis iungitur minori extremo contingenter: ergo illa ratio connexionis est contingens.

Obiicies primò, Quotiescumque duæ causæ ad aliquem effectum concurrunt, & vna ex illis est perfectior alterâ, effectus assimilatur perfectiori; ergo conclusio potest esse perfectior vnâ præmissâ. Antecedens probatur. Sint duo homines trahentes aliquod pondus, vnus altero potentior; tractio ponderis sequitur virtutem potentioris. Ad videndum Deum requiritur intellectus naturalis, & lumen gloriæ supernaturale; sequitur effectus supernaturalis, scilicet visio beata. Demùm actus est vitalis, ad quem tamen concurrunt habitus non vitalis simul cum potentia vitali. Et ita de multis alijs dicendum est.

Resp. dupliciter posse concurrere duas causas ad aliquem effectum. Primò diuisibiliter, ita vt influxus vnus sit distinctus ab influxu alterius, & ab eo non pendeat: v. g. cum duo homines trahunt nauim, cum intellectus & habitus producant actum, cum equus & alina producant mulum; & tunc certum est effectum magis assimilari causæ perfectiori, quàm imperfectiori. Secundò, duæ causæ concurrunt ad eundem effectum indiuisibiliter; ita vt influxus vnus totus pendeat ab influxu alterius, & ab illo impediatur; & tunc effectus non assimilatur causæ perfectiori, sed imperfectiori: v. g. potentia motiua, & tibia requiruntur ad motum; etiamsi prima sit robusta, modò tibia sit clauda, motus producet claudicationis. Eodem modo vna præmissa ex se nihil potest in ordine ad eliciendam conclusionem, sed vtrâque indiuisibiliter se habent ratione vnus medijs, seu connexionis medijs cum extremis. Medium ergo non poterit esse ratio cur intellectus certò & euidenter connectat extrema, nisi cognoscatur certò, & euidenter connexum cum extremis; assensus enim conclusionis ab vtrâque præmissâ pendet indiuisibiliter: atque vt tubus, etiamsi ex altera parte amplum foramen habeat, si tamen ex altera foramen habeat perangustum, aqua transiens per illum accommodatur foramini angustiori, eodem modo conclusio deriuatur ex præmissis, quarum vna est imperfectior aliâ. Vnde ad argumentum facile distinguo antecedens, & ad probationem nego paritatem inter præmissas, & exempla ibi allata; in iis enim sunt plures influxus, quorum vnus non impedit alium.

Obiicies secundò. Cum vna præmissa sit necessaria, & altera contingens, conclusio sequitur necessaria, vt patet in his exemplis: *Omne currens necessario mouetur*: (est necessaria) *Petrus est currens: ergo necessario mouetur*. Item: *Omne admirans est rationale: omnis homo est admirans: ergo omnis homo est rationalis*, vbi minor est contingens, conclusio autem necessaria.

Resp. in iis exemplis conclusionem formaliter sumptam, siue vt deductam, esse simpliciter contingentem, quamuis in secundo exemplo conclusio materialiter sumpta, & vt explicata, sit necessaria. Neque obstat, quod in conclusione primi syllogismi

Ratio

Obiectio 1.

Si satisfit

Secunda

Ei satisfit



Syllogismi dicatur: *Ergo Petrus necessario mouetur*; quia illud, *necessario*, significat tantum necessitatem consequentem, quæ non tollit contingentiam; nam ex suppositione, quod Petrus curat, necessario currit, & consequenter necessario mouetur.

Instabis. Quando maior est necessaria, & minor contingens, qualis est syllogismus ille allatus: *Omne currens necessario mouetur*; tunc conclusio est necessaria, saltem ex suppositione maioris. Quando autem maior est contingens, & minor necessaria, ut: *Omne animal mouetur: Petrus est animal: ergo Petrus mouetur*; tunc conclusio est planè contingens.

Resp. primò, utramque conclusionem esse necessariam equaliter, id est ex suppositione; in conclusione tamen secundi syllogismi non exprimi necessitatem sequentem, quia prædicatum conclusionis esset diuersum à prædicato maioris, in quo non exprimitur necessitas sequens. Secundò responderet fusi Albertinus, quoties maior propositio est necessaria, & minor contingens, conclusionem esse necessariam ex suppositione, quia prædicatum iungitur subiecto ratione medij termini: sed si maior sit necessaria, prædicatum iungitur medio termino necessario: ergo & subiecto iungitur necessario ex suppositione, ratione medij termini: si autem prædicatum non coniungatur medio terminò necessario, id est, si maior propositio sit contingens, & minor necessaria, sequitur conclusio solum contingens, quia prædicatum, quod non vitur medio termino necessario, non potest vniri subiecto ratione medij termini, nisi contingenter; & hoc est fundamentum quatuordecim regularum, quas tradit Aristoteles *lib. primo priorum, cap. 8. 9. & 10.* & explicat Albertinus supra, *dubitatione secunda, num. 12.*

Tertia.

Obiicies tertio. Cum vna præmissa est certa & euidens, & altera probabilis, conclusio sequitur euidens, & certa, ut, *Omne risibile est animal rationale: omnis homo est risibilis: ergo est animal rationale.* Vbi conclusio est euidens præmissis, cum sit differentia constitutiva, & medium demonstrationis à priori. Huc referuntur conclusiones Theologicæ, in quibus ex vna præmissa de fide, altera naturaliter euidens, vel aliquando tantum probabilis, sequitur conclusio de fide; ut, *Omnis homo est animal rationale: Christus est homo: ergo Christus est animal rationale.* Vbi maior est euidens naturaliter; minor autem & conclusio sunt de fide. Item, *Omne Concilium legitime congregatum est admitterendum: Concilium Tridentinum est legitime congregatum: ergo est admitterendum.* Vbi maior est de fide; minor autem tantum probabilis naturaliter, conclusio autem certa de fide. Item, *Omnis Pontifex electus legitime, est verus Pontifex: Alexander VII. est electus legitime: ergo est verus Pontifex.* Vbi minor est tantum probabilis; maior autem & conclusio (ut omnes ferè censent) sunt de fide.

Eius solutio.

Resp. tunc conclusionem formaliter sumptam, & ut deductam, non esse perfectiorem præmissis; sed tantum ut explicatam. In primo enim syllogismo conclusio ut deducta non est magis euidens, quam minor propositio. In aliis autem exemplis conclusiones illæ Theologicæ non sunt de fide, prout deductæ, sed prout explicatæ: id est, non sunt articuli fidei, quatenus nituntur discursu tantum ratione assentiendi, sed tantum quatenus reuelatæ sunt à Deo; quæ reuelatio explicatur per discursum; fides enim assentitur obiecto propter solam reuelationem primæ veritatis. Imò illæ conclusiones non possunt esse de fide, nisi qua-

A tenus altera illa præmissa continetur sub præmissa de fide.

Instabis primò. Quando vna præmissa est supernaturalis, & de fide; altera verò est naturaliter euidens, tunc conclusio est supernaturalis simpliciter, secundum suam entitatem. Nam v. g. conclusio theologica, ut sic, est supernaturalis: ergo est perfectior præmissis, etiam ut deducta.

Instantia prima.

Resp. nego antecedens; puto enim actum, & habitum theologicum esse simpliciter naturalem, contra Gillium, Fasellum, Molinam, &c. quamuis enim obiectum eius formale remotum sit supernaturale, obiectum tamen proximum illius actus est planè naturale: nam obiectum proximum, & ratio formalis assentiendi conclusioni huic est iudicium consequentiæ ob formam syllogisticam, quod est planè naturale, ut bene docet Arrubal *disp. quinta*, & plures alij.

Si satisficit.

Neque dicas: Intellectus naturalis, & habitus supernaturalis producant actum simpliciter supernaturalem: ergo præmissa vna naturalis, & altera supernaturalis, possunt producere conclusionem supernaturalem. Primò enim allata est superius disparitas *in resp. ad primum*. Deinde intellectus non est causa principalis, sed tantum instrumentalis, concurrens ad actum supernaturalem perfectiorem, quam ipse sit: præmissæ autem non sunt cause instrumentales conclusionis, sed principales, unde non possunt esse imperfectiores conclusionem.

C Instabis secundò. Saltem conclusio illa Theologica, licet naturalis, est certior propositione naturali scientifica, à qua deducitur, quia communiter cum Sancto Thoma docent Theologi, Theologiam esse certioris qualiter scientia naturali: ergo conclusio superat præmissas.

2. Et eius solutio

Resp. conclusiones Theologicas alias deduci ex ambabus præmissis de fide, alias ex vna de fide, & alia nota ex terminis; & illæ omnes conclusiones Theologicæ sunt certiores scientiis naturalibus: alias autem conclusiones Theologicas deduci ex vna de fide, & altera scientifica. Has conclusiones ut deductas, nego esse certiores scientiis naturalibus, à quibus pendent.

D Obiicies quarto. Potest conclusio esse affirmatiua, licet vna præmissa sit negatiua, ut, *Omnes stellæ, quæ non scintillant, sunt propè nos: Planeta non scintillant: ergo sunt propè nos.* Quo syllogismo vitur Aristoteles *in libris de Mundo*.

Obiectio 4.

Resp. argumentum illud non valere, si minor sumatur negatiue; valere autem si sumatur infinitè, ut sumptis etiam Aristoteles.

Responsio

Obiicies quintò. Cum vna præmissa est vera, & altera falsa, sequitur conclusio vera, & cum vna est necessaria, altera impossibilis, sequitur conclusio necessaria.

Quinta.

Resp. conclusionem materialiter sumptam posse esse veram, quando præmissæ sunt falsæ; & necessariam, quando præmissæ sunt impossibiles: non posse autem vquam conclusionem formaliter sumptam esse veram, vel necessariam, quando præmissæ sunt falsæ, vel impossibiles.

Solutio.

Quæres, vtrum ex possibili sequi possit impossibile, quando v. g. dico: *Omne quod mouetur, est homo: omnis equus est currens: ergo omnis equus est homo.* Vbi præmissæ ambæ sunt de possibili, conclusio autem de impossibili.

An ex possibili impossibile sequi possit.

Resp. ex possibili nunquam sequi posse impossibile: in exemplo autem allato præmissæ simul iunctæ sunt impossibiles, quamuis separatim sumptæ sint possibiles; conclusio autem non sequitur

Responsio.



# Disp. IV. Quæst. vnic. de Argumentatione. 73

quitur ex vna propositione, sed ex duabus simul dispositis.

S. V.

An, & quare conclusio formalis sit infallibilis.

Principium  
quæ sunt eadem  
vni, &c.

Vnde de-  
sumptum.

Ratio.

Dici de omni  
& dici de  
nullo, in quo  
fundantur.

Ex illis pri-  
ma figura  
probat.

Ratio 1.

Dico quintò. Primum, & generale princi-  
pium, quo nititur forma syllogistica cuius-  
cumque figuræ, est hoc principium: *Quæ sunt eadem  
vni tertio, sunt eadem inter se.* Est contra Valq.  
prima parte, disp. 129. cap. 22. Molin. prima parte,  
art. tertio, disp. tertio. Albert. septimo principio com-  
plexo, dubitat. secunda.

Obserua, illud axioma esse desumptum ex Ari-  
stotele 3. *Physic.* textu 21. & 7. *Topic.* cap. 1. his  
verbis: Cui alterum idem, & alterum: nam si non  
sunt ambo eidem eadem, manifestum est nec sibi inui-  
cem. Hoc autem axioma duobus modis intelligi-  
tur. Primò, quæ sunt eadem realiter vni ter-  
tio, sunt inter se realiter eadem; quod quomo-  
do, vel connaturaliter verum sit, dicetur con-  
clus. 3. Secundo, quæ sunt eadem vni tertio  
prædicatione, sunt eadem inter se prædica-  
tione, idest quando vtrumque extremum de  
aliquo tertio prædicatur, vel aliquod tertium  
de vtroque extremo, tunc alterum extremorum  
potest de altero prædicari. Vtroque modo in-  
tellectum axioma, dico esse fundamentum rectæ  
consequentia.

Ratio est, quia omnis veritas syllogistica po-  
test demonstrari per hoc axioma: quod probò. In  
omni recto syllogismo conclusio infert infallibi-  
liter identificationem prædicati & subiecti prop-  
ter vtriusque identitatem cum tertio: ergo potest  
demonstrari per hoc axioma: *Quæ sunt eadem vni  
tertio, sunt eadem inter se.* Deinde, quia dictum  
de omni, & dictum de nullo, quibus prima figu-  
ra nititur, fundantur in eo axioma generali,  
*Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se;*  
quod vt clarius intelligatur.

Dico sextò. Hæc duo principia, *Dici de omni,*  
& *Dici de nullo,* fundantur in illo generali axi-  
oma, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem in-  
ter se.*

Obserua, Aristotelem lib. 1. priorum, cap. 1.  
duo hæc afferre axiomata generalia, quibus pro-  
bat primam figuram, *Dici de omni,* & *Dici de nul-  
lo.* Dici de omni, significat, quod prædicatur af-  
firmatiuè de conceptu communi sumpto vniuer-  
saliter, dicitur etiam de omni inferiori contento  
sub illo, id est, quia v. g. animal affirmatur de  
homine, affirmatur etiam de Petro: contento sub  
homine; quod est euidentissimum. Dici de nullo  
significat, quidquid negatur de aliqua ratione  
communi vniuersaliter sumpta, negatur etiam de  
omni contento sub illa: v. g. de homine negatur  
irrationale, negatur etiam de Petro, qui conti-  
netur sub homine. Duo modi affirmatiui primæ  
figuræ, *Barbara,* & *Dary,* probantur per di-  
ctum de omni. Duo modi negatiui, *Celarent,* &  
*Ferio,* per dictum de nullo. Et hæc duo axioma-  
ta sunt certissima, quia eorum veritas fundatur in  
altero illo principio: *Quæ sunt eadem vni ter-  
tio, &c.*

Ratio est, quia illud principium: *Quæcumque  
sunt eadem prædicatione vni tertio, sunt eadem in-  
ter se prædicatione;* est ipsummet dictum de omni, &  
de nullo: sed illud principium, *Quæ sunt eadem*  
R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A inter se prædicatione, &c. demonstratur per illud,  
*Quæ sunt eadem realiter vni tertio, sunt realiter eadem  
inter se:* ergo dictum de omni, & consequen-  
ter dictum de nullo demonstrantur per illud prin-  
cipium, *Quæcumque sunt eadem vni tertio realiter,  
sunt eadem inter se.* Minor clara est, quia quod ali-  
quid prædicetur de aliquo, demonstratur eo quod  
identificetur realiter idem cum illo.

Secundò: Idem valet dictum de omni, quia  
inferiora realem habent identitatem cum con-  
ceptu communi; idem enim necessarium est, vt  
animal, quod prædicatur de homine, prædica-  
tur de Petro, quia Petrus habet identitatem cum  
homine, & homo cum animali: ergo idem quod  
prædicatur de superiori, prædicatur etiam de infe-  
riori, quia inferius habet identitatem cum supe-  
riori: id est dictum de omni idem valet, quia fun-  
datur in altero generali principio. Quæcumque  
possent obijci, petuntur a veritate huius axioma-  
tis, quam vt stabiliam,

Dico septimò. Hoc generale axioma ita verum  
est, vt non solum in creatis, sed in diuinis locum  
habeat, si explicetur rectè.

Obserua, hoc axioma in creatis esse verum sim-  
pliciter, quia illa sunt idem, quæ sunt vna enti-  
tas: sed quæ sunt eadem vni tertio, sunt vna en-  
titas: ergo sunt eadem inter se. In diuinis autem  
axioma illud videri falsum, quia repugnare vi-  
detur secretissimò mysterio Sanctissimæ Trini-  
tatis, cuius tota difficultas in eo est, quod tres  
personæ realiter identificatæ vni naturæ diuinæ,  
hoc est realiter vnus *Deus;* sint tamen inter  
se realiter distinctæ, id est vnum ex tribus,  
& ex vno tres. Tribus tamen modis explicari  
potest hoc axioma, ita vt in diuinis etiam ve-  
rum sit.

Primò: Quæcumque sunt eadem vni tertio in-  
communicabili, sunt eadem inter se: at verò quæ-  
cumque sunt eadem vni tertio communicabili,  
non sunt eadem inter se. Natura diuina propter  
infinitatem est communicabilis pluribus, idem  
principium illud non valet pro natura diuina. Re-  
lationes verò sunt pluribus incommunicabiles, &  
pro illis valet axioma.

Secundò sic explicatur. Quæcumque sunt ead-  
em adæquatè vni tertio, sunt eadem inter se, id  
est, quæcumque identificantur quidem vni tertio,  
sed non identificantur omnibus, quibus identi-  
ficatur illud tertium, non identificantur inter se.  
Relationes autem diuinæ non identificantur adæ-  
quatè naturæ, quia non identificantur omnibus,  
quibus identificatur natura; & idem non sunt idem  
inter se.

Tertiò: Quæ sunt eadem vni tertio realiter,  
& virtualiter, sunt eadem inter se; relationes au-  
tem diuinæ sunt idem realiter cum natura, non  
tamen virtualiter. Nam relationes sunt virtuali-  
ter distinctæ à natura; potest enim natura facere  
eadem omnia, quæ faceret si esset realiter distin-  
cta; & hæc vocatur distinctio virtualis in Deo,  
quæ in creaturis ob naturæ finitatem non reperi-  
tur. Axioma ergo illud in diuinis etiam verum est  
eo modo intellectum, quia de Deo possunt fieri  
syllogismi, qui omnes nituntur hoc generali  
principio. Duplex tantum in contrarium potest su-  
peresse difficultas.

Prima est, quia non valet in his syllogismis: *Difficilis  
Essentia diuina est Pater: Filius est essentia diuina: cas 1.  
ergo Filius est Pater.* Et ita multi alij syllogismi  
possunt fieri.

G Resp.

Secunda.

Illud axi-  
oma etiam in  
diuinis est  
verum.  
In creatis  
est verum  
simpliciter.

Ratio 1.

Secunda.

Tertia.



Eius solu-  
tio.

Resp. primò, illos syllogismos nihil valere, quia medius terminus, qui est, *Essentia diuina*, non est purè singularis: in syllogismo autem expositorio medius terminus debet esse singularis purè: hic terminus, *Deus*, licet physicè sit singularis, logicè tamen, & æquiualeuter est vniuersalis. Secundo dici potest illum syllogismum non valere, quia medius terminus, *Essentia diuina*, non distribuitur adæquatè; conuenit enim Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; & sumitur tamen in maiori prout conuenit Patri; in minori autem prout conuenit Filio; sique non distribuitur adæquatè.

Secunda.

Secunda est, quomodo valeat in diuinis, *Dictum de omni*, & *Dictum de nullo*; videntur enim non valere, v.g. in hoc syllogismo: *Deitas non generat: Deus est Deitas: ergo non generat.*

Eius solu-  
tio.

Respondeo, hæc axiomata valere in Deo, modo medium adæquatè distribuatur. In hoc autem argumento medium non distribuitur adæquatè.

## SECTIO V.

De variis speciebus syllogismorum  
axiomata.Syllogismo-  
rum genera.

Certum est, syllogismum alium esse simplicem, siue categoricum; alium hypotheticum, alium expositorium, alium constantem ex propositionibus exponibilibus, alium ex obliquis, de quibus axiomata quadam scitu digna sunt.

De syllogis-  
mo cate-  
gorico.

Dico primò. De syllogismo categorico, qui scilicet constat ex propositionibus absolutis, hæc axiomata vera sunt.

Primum est: *Ex duabus negatiuis nihil vi forme concluditur, sed tantum vi materie*; quia si medium cum neutro extremo iungatur, non erit ratio neque coniungendi, neque distinguendi extensa.

Obiectio  
& eius so-  
lutio.

Neque dicas primò: Hic syllogismus negatiuis bene concludit: *Si hæc substantia non est spiritalis, non est Angelus: sed hæc substantia non est spiritalis: ergo non est Angelus.* Respondeo enim hunc syllogismum esse hypotheticum, cuius maior æquiualeter huic: *Omnis Angelus est substantia spiritalis*, & est affirmatiua, cum tamen videatur negatiua, sicut hic syllogismus constare videtur ex affirmatiuis, cum tamen constet ex negatiuis. *Omnis homo differt ab Angelo: omnis substantia spiritalis differt ab homine: ergo omnis substantia spiritalis differt ab Angelo.* Non valet, inquam, quia constat ex negatiuis; nam differre idem est, ac vnum non esse aliud.

Secunda &  
eius solutio.

Neque dicas secundò: Hic syllogismus bene concludit: *Omne quod non est animal, non est homo: lapis non est animal: ergo lapis non est homo.* Respondeo bene concludere, quia maior, in qua sunt duæ negationes, æquiualeter affirmatiua, quæ in illam conuertitur: nam hæc propositio vniuersalis affirmatiua: *Omnis homo est animal*; conuertitur in hanc per contrapositionem: *Omne quod non est animal non est homo.*

Axioma se-  
cundum.

Secundum est: *Ex puris particularibus nihil concluditur vi forme*; quia tunc medium non adæquatè distribuatur.

Obiectio.

Neque dicas: Hic syllogismus constat ex particularibus, *Hic homo est animal: Petrus est*

*animal: ergo Petrus est hic homo.* Respondeo enim hunc syllogismum concludere solum vi materie, non vi forme; nam seruata eadem forma posset antecedens esse verum, & consequens falsum: *Hic leo est animal: Petrus est animal: ergo Petrus est hic leo.*

Ei satisfic.

Tertium: *Medium nunquam ingreditur conclusionem*, quia idem probaretur per seipsum.

Axioma ter-  
tium.

Neque dicas: Hic syllogismus in conclusione habet medium: *Omnis Angelus est spiritus: Gabriel est Angelus: ergo aliquis spiritus est Angelus.* Respondeo non concludere vi forme, sed tantum vi materie, quia scilicet hæc vniuersalis affirmatiua: *Omnis Angelus est spiritus*; bene conuertitur per accedens in particularem affirmatiua: *Aliquis spiritus est Angelus.*

Obiectio &  
ei satisfic.

Dico secundò. Syllogismus expositorius est is, qui constat medio termino purè singulari. Dicitur expositorius, quia est quadam sensibilibus resolutio eorum, quæ in communi dicuntur, vt ait Sanctus Thomas opusculo 47. De hoc vera sunt hæc axiomata.

Syllogismus  
expositorius  
quid sit.

Primum: *Medius terminus in syllogismo debet esse singularis, non autem particularis.* Ideo hæc sunt sophismata: *Quod ego habeo, tibi do: ego habeo oculos: ergo do tibi oculos.* Item: *Quod ego sum, tu non es: ego sum homo: ergo tu non es homo.* Quod sophisma Diogenes propositum à discipulo Platonis, soluere se putauit dicens: *Incipe à me, & conficies te non esse hominem.*

Primum  
axioma pro  
expositorio.

Secundum est: *Vt de Deo fiant syllogismi expositorii, medium non potest esse Deus, essentia diuina, nec vlla perfectio essentialis*; quia medium syllogismi expositorii debet esse purè singulare, vt dixi; nomina verò ista, *Deus*, *essentia diuina*, &c. quamuis sint physicè singularia, logicè tamen vniuersalia sunt; idèd non valent hi syllogismi: *Hic Deus est Pater: Filius est hic Deus: ergo Filius est Pater.* *Essentia diuina non generat: Pater est essentia diuina: ergo Pater non generat.*

Secundum  
axioma.

Tertium est: *In syllogismo expositorio medium ita debet esse singulare, vt tamen adæquatè distribuatur*; id est, sumatur pro omni eo, pro quo sumi potest: v.g. si *Petrus* sit medium syllogismi expositorii, debet sumi pro eo toto, quod est Petrus, alioqui non valet syllogismus. Quod etiam obseruandum est, præcipue quando fiunt syllogismi expositorii de Deo; semper enim boni erunt, si medium singulare sumatur pro omni eo, pro quo sumi potest.

Tertium.

Dico tertio. Syllogismus hypotheticus ille dicitur, cuius aliqua propositio est hypothetica; de quo vera sunt hæc axiomata.

Syllogismus  
hypotheti-  
cus quid sit.

Primum: *Syllogismus hypotheticus per se nihil concludit, nisi ratione syllogismi categorici*; ad quem facile reduci potest, quia non seruat debitam dispositionem medij cum extremis: v.g. hic syllogismus: *Si sol lucet, dies est: sed sol lucet: ergo dies est*; facile reducitur ad illum: *Quoties sol lucet, dies est, &c.*

Primum  
axioma pro  
hypotheti-  
co.

Secundum: *Syllogismus hypotheticus non valet, quando medium est disunctiuum*; v.g. si dicas: *Hic, vel ille oculus est necessarius ad videndum: oculus dexter est hic, vel ille oculus: ergo oculus dexter est necessarius ad videndum.* Medium enim, *hic, vel ille oculus*, est particulare; nam idem est ac *aliquis*.

Secundum.

Tertium est: *Non potest syllogismus constari ex utraque pamiissa disunctiuina, sed potest constari ex maiori*

Tertium.



maiori copulativa, & minori disjunctiva: v. g. non valet, Petrus, vel Ioannes interfecit Antonium: hic homo est Petrus vel Ioannes: ergo hic homo interfecit Antonium. Quia copula, Et, nec, &c. æquivalet voci, Omnis: vel, autem æquivalet voci, Aliquis.

Syllogismus exponibilis quid sit. Dico quartò, Syllogismus exponibilis vocatur is, qui constat ex propositionibus exclusivis, exceptivis, vel reduplicativis. De hoc vera sunt hæc axiomata.

Primum: Particula, tantum, non facit propositionem universalem, nisi addita habet signum universale, Omnis: v. g. Tantum homo est albus; non est idem ac, Tantum omnis homo est albus. Idem non valet hic syllogismi: Tantum animal est homo: equus est animal: ergo equus est homo. Neque hic: Tantum substantia non est creatura: omnis homo est substantia: ergo nullus homo est creatura. Medium enim in illis non distribuitur adequatè.

Secundum. Secundum est: Propositio affirmativa exclusiva æquivalet duabus, quarum una est affirmativa, & altera negativa. V. g. cum dicis, Tantum risibilis est homo; significas, quod homo est risibilis, & nullum aliud risibile; idem non valet hic syllogismus: Omnis homo est animal: tantum risibile est homo: ergo tantum risibile est animal. Quia animal in conclusione negativa distribuitur, cum tamen non fuerit distributum in maiori affirmativa.

Tertium. Tertium est: In syllogismo exceptivis, terminus exceptus debet poni etiam in minori, alioqui sunt quatuor termini; idem non valet hic syllogismus: Omne animal præter hominem est irrationale: omnis homo est animal: ergo omnis homo præter hominem est irrationalis. Ob eandem causam in reduplicativis terminus reduplicatus poni debet in conclusione; idem istud non valet: Omne animal in quantum muscum cantat: omnis homo est animal: ergo omnis homo cantat.

Syllogismus ex obliquis quid sit. Dico quintò, Syllogismus ex obliquis dicitur, cum aliquis terminus illius ponitur in casu obliquo. De quo hæc accipe axiomata.

Primum pro obliquo axioma. Primum est: Cum medium est obliquum in aliqua præmissa, extremum, quod illi iungebatur, debet esse rectum in conclusione, & alterum extremum debet esse obliquum, ut: Omnis entis est scientia: omne corpus est ens: ergo omnis corporis est scientia.

Secundum. Secundum. Quando medium est obliquum in utraque præmissa, utrumque extremum conclusionis est in recto, ut: Nulla virtus inest heretico, avaritia inest heretico: ergo avaritia non est virtus.

Tertium. Tertium. Terminus, qui fuit obliquus in præmissis, sit etiam obliquus in conclusione, ut: Omnis creatura est Dei: omnis homo est creatura: ergo omnis homo est Dei. Supererant syllogismi modales, quos inutile propemodum esset exponere; cum ex dictis tum hic, tum in Pharo nulla circa eos possit superesse difficultas.

Altera divisio syllogismi. Altera est divisio syllogismi communissima, in scientificum, dialecticum, siue probabilem, spendagraphum, & sophisticum; circa quos nihil exponendum superest præter demonstrationem, quæ primaria, & nobilissima pars est totius Dialecticæ.

A

## DISPUTATIO V.

### De syllogismo scientifico. Ad posteriores Analyticos.

B DEMONSTRATIO non totale quidam, sed primum Logicæ obiectum est, & obiectum, ut vocant, attributionis: sed librorum, quos Aristoteles inscribit Posteriores Analyticos, est obiectum adequatum; in iis enim totam demonstrationem, & resolutionem syllogismi secundum materiam ingeniosè prosequitur, in qua etiam totius Logicæ nostræ sit clausula.

## QVÆSTIO VNICA.

### De natura, & partibus demonstrationis.

C M Vltà complector hoc titulo, quæ ad capita Divisio sex referri possunt; primò enim continet quæstionis existentiam, quidditatem, & divisionem demonstrationis, ac scientiæ. Secundò præcognitiones ad scientiam requisitas. Tertio proprium subiectum demonstrationis ac scientiæ. Quarto medium terminum. Quintò præmissas demonstrationis, tum in genere, tum propter quid. Sextò regressum à demonstratione quia, ad demonstrationem propter quid.

## SECTIO I.

### Quidditas, existentia, & divisio demonstrationis.

D CERTUM est primò, demonstrationem definiti, syllogismum, qui facit scire, id est syllogismum, per quem formaliter habemus scientiam actualem: unde altera demonstrationis definitio est, syllogismus constans ex veris, necessariis, & notioribus conclusionibus: quæ conditiones inferius explicandæ erunt.

Certum est secundò, scientiam universè ita definiti finiri, Est cognitio rei certa, & evidens per medium necessario connexum. Scientia verò maxime propria, siue à priori, ita definitur, Est cognitio certa & evidens rei per causam necessariam, v. causa est. Quæ definitio quatuor inuoluit conditiones ad scientiam necessarias. Prima est, ut scientia sit certa: secunda ut sit evidens: tertia ut discursu comparetur: quarta ut constet ex præmissis necessariis, & continentibus causam conclusionis: quas conditiones in tractatu de scientia tractabimus.

Certum est tertio, scientiam aliam esse actualem, aliam habitualement. Actualis illa est, quam definiti nimus: habitualis est qualitas permanens inclinans intellectum ad cognitionem rei certam, & evidentem. De sola scientia actuali nobis hic sermo est, de qua

Certum est quarto, scientiam actualem essentialiter, & in recto esse solam conclusionem formalem; præmissas autem demonstrationis in obliquo & conno



connotatiue, sicut supra diximus syllogismum in recto non esse nisi conclusionem formalem; præmissas autem essentielles esse syllogismo connotatiue tantum, & in obliquo. Ratio est, quia in ea cognitione est tota scientia, in qua cognoscitur totum, quod dicitur sciri: sed in sola conclusione formali, ut connotat præmissas, cognoscitur totum id, quod dicitur sciri: ergo in ea est tota scientia actualis. Minor videtur certa, quia sola connexio prædicati, & subiecti sciri dicitur. Maior probatur, quia scientia est cognitio certa & euidens rei, quæ dicitur sciri: ergo in eo est tota scientia, in quo est cognitio tota rei, quæ sciri dicitur.

Obiectio 1.  
& eius solutio.

Neque dicas primò. Scientia non est nuda cognitio connexionis prædicati, & subiecti; sed est cognitio illius per medium necessarium: sed hoc includit non solum conclusionem, sed etiam præmissas: ergo non sola conclusio est scientia, sed etiam præmissæ. Concedo maiorem, distinguo minorem: includit præmissas & conclusionem in recto, & explicitè, nego; in obliquo, & confusè præmissas, conclusionem autem in recto, & explicitè, concedo. Scientia ergo si sumatur secundum ea, quæ pertinent tum in recto, tum in obliquo, includit tum præmissas, tum conclusionem; si autem tantum secundum ea, quæ includit formaliter, posita est in sola conclusione formali.

Obiectio 2.  
eiusque solutio.

Neque dicas secundò. Eadem cognitione cognoscitur obiectum materiale, & formale: sed præmissæ sunt obiectum formale scientiæ, & motuum assensus scientifici: ergo per eandem scientiam cognoscitur conclusio, & præmissæ. Distinguenda enim est minor: præmissæ sunt obiectum formale scientiæ, prout antecedunt conclusionem, nego; prout sunt in conclusione, concedo. His ita constitutis circa naturam scientiæ, & demonstrationis, controuersum esse potest duntaxat,

## S. I.

### Verum scientiæ sint reminiscentiæ.

Conclusio  
negatiua.

Primò. Scientiæ non sunt reminiscentiæ solum, sed certè acquiruntur de nouo. Contra Platonem, qui volebat nos nihil de nouo scire, sed solum reminisci, eo quod in prima creatione habitus omnium scientiarum insuli essent animæ; qui tamen materiæ velut immergi, nihil in summa illa caligine suæ lucis emitterent, donec assidua contemplatione detergi paulatim effoderentur, & quasi amoris repagulis iterum animo redderentur. Ita ille in *Manone*, & 10. de *Rep.* Cui adhærere Platonici omnes, Iamblicus, Plotinus, Alcinous, quæ de re fusè agit Ioannes Crisostomus *lib. quinto & sexto distributionis*, contra Platonem; & Mirandalanus *lib. 11. Euerionis*, & pulcherrimè Guill. Parisiensis *lib. de vitiis*.

Fundamentum erroris  
Platonici.

Fundamentum autem huius erroris Platonici fuit, quoddam putaret animam longè ante corpora fieri intra ipsas stellas, ubi currum haberet alatum, quo sublimis insideret, & per totum mundum vagaretur. Cum verò ei alæ defluxissent, eam cadere in terram & ostreacum corpus (quod etiam vocabatur *obliuionem*) imbuere, ubi omnium obliuisceretur. Quid autem significaret illud vehiculum, quid equi, quid aurigæ, longum esset dicere. Quem errorem sequutus Origenes, Priscillianistæ, & Hæretici Flagellantes damnati sunt in V. & VI. Synodo, & in Concilio Bracarensi I. *canone 6.* & à Leone Magno *epistola ad Iulianum Coensem Episcopum*, & *epistola ad Thuribium Asturicensem*, & ab omnibus Patribus, inter quos egregiè Theodoretus in *epitome diuinarum decretorum*, & Methodius Olympi Episcopus. Alas tamen illas amissas, quas volebat esse instinctum geminum ad verum per mentem, & ad bonum per voluntatem, solas aiebat renasci Philosophis, dum inductione quadam recordantur eorum, quæ in altera vita viderint, iuuante pulchritudine, quæ per oculos influens animum iam gestientem ad Deum ipsum reducat erumpentibus per totam animam peninis, ut ait in *Phædro*, & iterum repetit in *Manone*, ubi tandem ait, reminisci nihil aliud esse, quàm in seipso scientiam recolere, atque retractando asumere. Cui errori ferè adhæsit Augustinus *lib. secundo soliloquiorum, cap. secundo*, sed retractauit *lib. 12. de Trinitate, cap. 5. & lib. secundo retractationum*. Contra quem errorem

Rationes sunt primò, quia si omnis scientia esset reminiscencia, nihil vnquam disceremus, quin cogitarem nos hoc olim sciuisse: sed hoc est falsum, & contra experientiam: ergo scientiæ non sunt reminiscentiæ. Maior clara est; cum enim recordamur rei alicuius, cognoscimus nos illam olim sciuisse.

Secundò: si anima poculo illo lethæo potata, & quasi inebriata, omnium obliuionem patitur, quomodo scit Plato se hoc olim sciuisse.

Tertiò: si corpus non potest impedire animam diuinantem: ergo neque reminiscentem.

Quartò: corpus organo simile est, anima verò artificii: sed organum, siue instrumentum non impedit artificem: ergo corpus non impedit animam, ut bene argumentantur Irenæus *lib. secundo, cap. 59.* Iustinus in *dialogo*, Tertull. *lib. de anima, cap. 33. & 34.*

Obicit Plato duo. Primum est: Ille qui conatur sibi comparare rei alicuius scientiam, vel scit quod quærit, vel nescit. Si scit: ergo de nouo non discit. Si nescit: ergo non potest velle quærere; voluntas enim supponit noticiam, nec potest inuenire; licet enim occurrat id, quod quærit, non tamen agnoscit: sicut hominem ignotum qui de facie quæreret, non tamen illum inueniret. Secundum est, quia si puer interrogetur, paulatim de principiis mathematicis respondebit ea, quæ tradi solent in scholis, sed dum discit, solum reminiscitur.

Respondeo ad primum cum Aristotele, illum qui quærit scire aliquid, non scire formaliter id, quod quærit, sed virtualiter tantum, & confusè per præmissas tanquam per antecedentem cognitionem; vnde negatur illum frustra quærere. Ad exemplum de eo, qui quærit ignotum hominem, nego paritatem, non enim virtualiter illum cognoscit, nec habet aliquid, quo ducatur in eius cognitionem, cum tamen ille, qui vult scire aliquid, habeat præmissas, quibus infallibiliter ducatur ad cognitionem formalem. Ad secundum respondeo, puerum ita interrogatum non respondere propter reminiscentiam, sed propter euidenciam illorum principiorum, quæ nemo possit negare; atque aded Socratem obstetricantem (ut ipse de se ait) non philosophantem omittamus cum suis fasciis, & crepundiis, quibus non animos erudit, sed pueriliter eludit. Addi poterat hîc, an habitus primorum principiorum sint in nobis à natura; sed commodius ea de re dicitur in tractatu de habitibus. Nunc explicata scientiæ actualis essentia, venio ad eius existentiam.

## S. II.



# Disp. V. Quæst. vnic. de Demonstratione. 77

## §. II.

*Utrum detur vera scientia, & demonstratio.*

Conclusio  
affirmativa  
bipartita.

**D**ico secundò. Multarum rerum datur vera, & perfecta scientia, omnium tamen rerum scientiam nec habuit quisquam, nec habere potest, saltem naturæ viribus. Ita Aristoteles *cap. tertio, bico*, & eruditissimè Augustinus *lib. scribis contra Academicos*, Sextus Empiricus Plutarchi nepos *lib. tertio, Pyrroniarum hypotyposicon*, Valesius *Sacra Philosophia cap. 54. Comimb. in proleg. Physica*, & Fonseca *in proleg. Metaph.*

Exstimant ergo Academici, tum veteres, authoribus Socrate, & Platone; tum noui, authore Arsepila, & Pyrrone; unde Pyrronij & Sceptici, id est Consideratores; existimant, inquam, nihil esse comprehensibile, incerta esse omnia, & quæ percipi nullo modo possent; veritatem nobis esse ut Protheum, quam obtinere nemo possit, falsis semper delusus imaginibus: latere illam in puteo (asserbat Democritus) cuius putei nullus fundus esset: mutari omnia perpetuò (aciebat Heraclitus) nec de vlla re bis idem affirmari posse, sicut nemo bis in eundem fluuium mergi potest tangens eandem aquam. Omnibus igitur illis placebat illa ἀναδελυσία, de qua tam multa Tullius *in qq. Academicis*; quam etiam amplexi sunt plures è nostro sæculo Athei, quos verè Neministas, & nullius non tantum scientiæ, sed etiam ingenij dixeris. Impugnat eos egregie Garassius *in Summa*.

Ratio primæ  
partis.

Ratio autem primæ partis est, quia dantur multæ cognitiones certæ, ac euidentēs, in quibus dubitare nullus potest: ergo datur scientia. Antecedens, quamuis sit manifestum, probatur tamen primò rationibus Sancti Augustini, quarum prima est: Videturne sapiens scire sapientiam? Si non videtur: ergo non est sapiens; si videtur: ergo non videtur tibi nescire sapientiam. Secunda petitur à propositionibus disiunctis: Scio me sedere, vel non sedere; mundum esse, vel non esse: esse vnum, vel plures. Tertia petitur à demonstrationibus dialecticis, quas ita certas esse ait, ut ideo Logica sit scientia veritatis.

Ratio secundæ.

Secundò sunt aliqui effectus & proprietates non excedentes virtutem intellectuum, necessariò connexæ cum suis causis, & subiectis; ut solem illuminare: ergo illa possunt cognosci necessariò connexæ, id est cognosci scientificè.

Tertia.

Tertiò: Omnis cognitio acquiritur per sensum; nam axiomata quædam lumine naturali sunt nota, ut: *Totum est maius sua parte*: sed illæ cognitiones sunt certæ, & euidentēs: ergo, &c.

Quarta.

Quartò. Idem probat appetitus naturalis scientiæ, quem à natura homini esse datum pulchrè tradit Aristoteles ipso initio *Metaph.* Nam hic appetitus naturalis frustra esset, si nihil posset sciri. Consequens est absurdum: ergo & antecedens.

Obiectio 1.

Neque dicas primò. Nulla est cognitio, quæ non oriatur à sensibus: sed sensus sæpe falluntur: ergo intellectus quoque fallitur, vel saltem dubitare possumus semper vtrum fallatur, sicque nihil certò scimus.

Responsio.

Resp. enim distinguendo maiorem: omnis cognitio oritur à sensibus, ita ut intellectus non corrigat sensum, nec transcendat id, quod sensus perceperit, nego maiorem; ita ut intellectus nihil cognoscat, cui primam quandam occasionem non dederit sensus, concedo. Quamuis ergo sensus sæpe fallatur, non sequitur etiam intellectum falli, quoties

*R. P. de Rhodes curs. Philosoph.*

**A** fallitur sensus; quia errantem sensum ipse corrigit. Deinde minor etiam distingui potest: sed sensus falluntur, quando obiectum non est debite applicatum, concedo; quando est debite applicatum, nego.

Neque dicas secundò: multi putant se demonstrare aliquid, cum tamen non demonstrent, & eodem modo se gerunt, ac si demonstrationem haberent: ergo incertum est semper, vtrum demonstrationem habeamus.

Obiectio 2.

**B** Distinguo enim antecedens: multi putant se demonstrare licet non demonstrent, quando adest certitudo tantum ex parte subiecti, concedo; quando adest certitudo ex parte subiecti, & ex parte obiecti, nego. Quando enim adest huiusmodi certitudo, non tantum putamus nos demonstrare: sed etiam verè demonstrare. Quid sit illa veræ certitudo, dicam *sest. quinta*.

Responsio.

Neque dicas tertio. Omnes scientiæ ducunt initium ab inductione: sed illa non potest ingenerare scientiam: ergo nulla est scientia. Maior manifestæ est, & constabit ex sectione vltima. Minor probatur. Ut inductio pareret scientiam, deberet esse adæquata, ita ut nullum omitteret singulare: sed hoc est impossibile: ergo inductio non generat scientiam.

Obiectio  
tertia.

**C** Resp. nego minorem; nam inductio verè potest esse principium scientiæ illius, quæ est à posteriori. Ad probationem autem nego minorem; nam ut inductio sit perfecta, non est opus, ut percurrantur omnia singularia, sed sufficit ut plurimum experientia conuincat rem ita esse, quod enim natura non in vno tantum, sed communiter in pluribus præstat, hoc in omnibus facit, alioqui deficeret à seipsa. Ut ergo experientia, & inductio scientifica sit, non est opus ut omnia singularia cognoscantur, v.g. ut sciam ignem esse caloris exigentium, non est opus, ut senserim omnes ignes.

Responsio.

Secunda pars conclusionis asserit, non posse naturaliter haberi omnium rerum scientiam, quia multi sunt effectus in natura ignotissimi; ut quod remora sistat naues, quod aqua ignem alicubi accendat, quod amantios lauetur flammis, quod magnes ferrum trahat, quod stella polaris magnetem ad se conuertat. Sunt etiam multi effectus à sensibus remotissimi, ut ea, quæ sunt in terræ visceribus: ergo intellectus capere illos non potest; nihil enim est in intellectu, quod prius aliquo modo non fuerit in sensu. Deinde à priori, fallacia sensuum tanta sunt, ut difficile omnes caueantur errores. Adde alias errandi occasiones, quas vitare omninò excedit naturalem hominis facultatem. Postremò ingenij humani imbecillitas vitæ breuitati coniuncta non patitur omnium rerum scientias posse percipi.

Secunda  
pars probatur.

**D** Obiicies. Appetitus naturalis non debet esse frustra: sed homo habet appetitum naturalem ad omnes scientias: ergo ille appetitus non debet esse frustra: esset autem frustra, si non posset illas adipisci.

Obiectio.

**E** Resp. nego minorem: nam ad omnes scientias habemus quidem appetitum elicitem, non habemus autem appetitum naturalem ad omnes scientias simul habendas; sed tantum ad habendas aliquas indeterminatè, sicut materia prima non habet appetitum ad omnes formas simul habendas, quia eas omnes habere non potest. Appetitus naturalis est non solum remota quædam capacitas habenda rei, quæ appeti dicitur; sed inclinatio quædam per modum potentia in rem tanquam in formam sibi debitam, aut saltem connaturalem. Ap-

Responsio.

petitus

G 3



petitus elicited est actus desiderij elicited à facultate appetitiva.

Obiici adhuc posset Salomon, qui creatas omnes scientias habuisse dicitur; sed si habuit, non naturæ viribus, sed per diuinæ gratiæ auxilium id assequutus est.

## S. III.

## Quotuplex sit demonstratio.

**A**liæ plures scientiæ diuisiones afferri possunt, quas in speciali tractatu de scientia habituali persequemur. Nunc pro demonstratione, in qua ve sumus.

Demonstrationis diuissio.

Dico tertio. Bene diuiditur demonstratio adæquate in demonstrationem à priori, quæ vocatur *propter quid*; & à posteriori, quæ vocatur demonstratio *quia*. Demonstratio *propter quid*, illa vocatur, cuius medium terminus est causa prædicati conclusionis. Demonstratio verò *quia*, est illa, cuius medium non est causa, saltem immediata, prædicati conclusionis.

Ratio.

Ratio est, quia illa est vera demonstratio, quæ procedit ex medio necessariam habente connexionem, & notiori secundum nos: sed demonstratio *propter quid*, & demonstratio *quia*, sunt eiusmodi effectus enim habet necessariam connexionem cum causa, & notior nobis est quàm causa, quæ sæpe obscura est. Causa item necessariam habet connexionem cum effectu, & est notior secundum naturam: ergo, &c.

Quod autem illa diuissio sit adæquata, ratio est quia omne medium demonstrationis, vel est causa, & facit demonstrationem à priori; vel non est causa, & facit demonstrationem à posteriori.

Obiectio prima, & eius responsio.

Neque dicas primo. Ille syllogismus non est demonstratio, qui non procedit ex præmissis necessariis: sed demonstratio *quia*, non procedit ex præmissis necessariis; effectus enim, cuius ignoratur causa, non est medium necessarium: ergo demonstratio *quia*, non est demonstratio. Confirmatur, quia illæ demonstrationes non differunt specie; eadem enim conclusio potest demonstrari per causam, & effectum. Nego enim minorem, quia quamuis non cognoscatur causa talis effectus, experientia tamen, & sensibus potest nobis ille esse infallibiliter notus; atque ita potest esse medium veræ demonstrationis, prout cognitus sensu, & experientia.

Ad confirmationem nego illas demonstrationes non differre specie; nam eadem conclusio formalis non potest demonstrari per causam, & effectum, sed tantum eadem conclusio materialis.

Secunda, & eius solutio.

Neque dicas secundo, in hac demonstratione non contineri demonstrationem, quæ cognoscitur an sit, simul & propter quid sit; neque illam, quæ est à causa immediata non cognita ut causa; neque demonstrationem ab effectu ad effectum, siue à concomitanti, v.g. cum flexibile demonstratur per risibile, cuius nec est effectus, nec causa. Denique nec demonstrationem, quæ deducit ad impossibile.

Resp. enim illas omnes demonstrationes esse vel à priori, vel à posteriori; nam demonstratio à posteriori non illa est, cuius medium est verus effectus, sed cuius medium non est causa. Primo igitur demonstratio quæ cognoscitur an sit, & propter quid sit, est vera demonstratio à priori; procedit enim per causam. Secundo illa quæ est à causa non cognita ut causa, licet secundum se sit à priori, simpliciter tamen dicenda est à posteriori, quia respectu nostri perinde se habet causa non cognita

ut causa, ac si non esset causa. Tertio demonstratio à concomitanti est à posteriori, sicut demonstratio quæ ducit ad impossibile, si id, ex quo procedit argumentum, non sit causa; si autem id, ex quo procedit argumentum, sit causa, hæc demonstratio erit à priori, quamquam verius est, Aristotelem loquentem hoc loco non esse de demonstratione, quæ ducit ad impossibile, sed de illa tantum, quæ ostensiva est.

Celeberrima enim est diuissio demonstrationis in eam, quæ ducit ad impossibile, & ostensiuam. Ostensiva illa est, quæ propositionem aliquam demonstramus, per sua principia ipsam inferendo. Demonstratio ducens ad impossibile est cum propositionem aliquam veram esse probamus, ostendentes eius oppositam esse falsam, quod fit sumendo oppositum propositionis negatæ cum altera præmissa euidenter vera, unde inferatur conclusio falsa; ut si probandum mihi sit, nullum hominem esse irrationalem, sic dicam: *Omnis homo est irrationalis: omne animal rationale est homo: ergo omne rationale est irrationale. Atqui nullum rationale est irrationale: ergo nullus homo est irrationalis.* Hactenus essentia, existentia, & diuissio demonstrationis.

Celeberrima demonstrationis diuissio.

## SECTIO II.

## Præcognitiones ad acquirendam scientiam necessaria.

**E**xplicata demonstrationis existentia, & quiditate, sequitur ut explicemus modum, quo ab homine acquiritur; quod ut præstem,

Dico primo. Axioma illud Aristotelicum verissimum est: *Omnis disciplina discursiva, & omnis doctrina sit ex præexistente cognitione.* Cuius geminus sensus ille est. Omnis cognitio, quæ ratione, & discursu habetur, sit ex aliquo alio iudicio antecedenti; quod iudicium antecedens sunt vel præmissæ syllogismi, vel principia nota ex terminis, vel antecedens, ex quo inferitur aliquid consequens. Unde colligis, omnem scientiam acquiri per aliquam præcognitionem, de qua

Axioma Arist. verum.

Dico secundo. Præcognitio est cognitio præcedens aliam tanquam causam, vel dispositio illius; nam tripliciter potest cognitio vna aliam antecedere. Primo ita ut præparet ad illam; sic cognitio sensitiua antecedit intellectiuam præparando viam intellectui, ut possit cognoscere. Secundo ita ut dirigat; sic cognitio prædicati, & subiecti antecedit enunciationem, & illam dirigit. Tertio ita ut illam causet, sicut præmissæ causant conclusionem, & cognitio earum vocatur propriè præcognitio, de qua hic loquimur.

Præcognitio quid sit.

Dico tertio. Quatuor sunt præcognitiones, quæ de re qualibet esse possunt: Quid nominis, An sit, Quid sit, Qualis sit.

Quatuor sunt præcognitiones.

Obserua, quinque de re qualibet sciri & queri posse. Primum est, quid nominis, id est, quid significet eius nomen. Secundo, an sit, id est, an sit res vera, an ficta; non enim queritur solum de existentia actuali, sed etiam de possibili. Tertio quid sit, id est, quam essentiam habeat, quanam eius natura sit, quanam definitio, partes essentielles, &c. Quarto, qualis sit, quanam sint eius proprietates, & attributa, quæ accidentia, &c. Quinto propter quid sit, quem finem habeat, à quo agente producta sit, &c. Illæ autem quæstiones sic se habent, ut præcedens respectu sequentis dicatur præcognitio; & sequens respectu præcedentis dicatur quæstio: atque ita *quid nominis*, nunquam est quæstio

Quinque de qualibet re sciri & queri possunt.



fio; & propter quid, nunquam est præcognitio: unde fit ut sint quatuor præcognitiones, Quid nominis, An res sit, Quid sit, Qualis sit; & quatuor quæstiones propriè dictæ, An res sit, Quid sit, Qualis sit, Propter quid sit.

Præcognita quid sint.

Probat. ur.

Dico quartò. Præcognita illa sunt, quorum cognitio prærequiritur ad discursum; & hæc sunt tria, prædicatum, subiectum, & præmissa.

Ratio est, quia non potest aliquid demonstrari, nisi sciatur quid significet prædicatum, quid subiectum quæstionis; & sic duo sunt præcognita, prædicatum & subiectum: & nisi sciatur, quid significet medium, eiusque connexio cum utroque extremo; & hoc est tertium præcognitum, scilicet præmissa: ergo tria sunt præcognita, prædicatum, subiectum, & præmissa.

Obiectio & eius solutio.

Neque dicas primò. Tot sunt præcognita, quot sunt præcognitiones; sicut quot sunt albedines, tot sunt alba: sed quatuor sunt præcognitiones: ergo quatuor præcognita. Distinguo maiorem. Tot sunt præcognita formaliter sumpta, quot sunt præcognitiones, concedo maiorem; tot sunt præcognita materialiter sumpta, nego maiorem. Præcognita formaliter voco ea, quæ præcognoscuntur; & de his non hic quæritur. Præcognita materialiter voco ea de quibus aliquid præcognoscitur, & hæc assero esse tria.

Obiectio 2. & eius solutio.

Neque dicas secundò. Medius terminus non minus debet esse præcognitum distinctum à præmissis, quàm prædicatum & subiectum: sed prædicatum, & subiectum sunt præcognita distincta à præmissis: ergo & medium. Nego enim maiorem, quia medius terminus non debet præcognosci extra præmissas; prædicatum autem, & subiectum debent præcognosci extra præmissas, quatenus sunt partes quæstionis. Si autem urgeas, vim illarum debere præcognosci, atque adeò plura esse præcognita, quàm tria. Respondeo, nos hic solum agere de præcognitis, quæ se tenent ex parte materiæ, non autem de præcognitis, quæ se tenent ex parte formæ, sicut vis illatiua: connexio autem prædicati & subiecti non est præcognitio, sed quæstio, & finis demonstrationis.

Obiectio 3. & eius solutio.

Neque dicas tertio, axiomata, seu propositiones vniuersalissimas, sub quibus continentur præmissæ particulares, debere necessariò præcognosci, ut infallibilis sit conclusio: ergo plura erunt præcognita, quàm tria. Nego enim antecedens, quia in ordine ad conclusionem non est necesse actu cognoscere propositiones illas vniuersales, sed tantum in ordine ad discursum, quo probentur illæ præmissæ, in quo hæc axiomata erunt præcognita, quia erunt præmissæ.

De subiecto quid debeat præcognosci.

Dico quintò. De subiecto debet necessariò præcognosci quid nominis, & communiter, an sit; id est, an sit ens verum, an fictum. Ratio est, quia non potest cognosci proprietas alicuius rei, nisi sciam, quid significet illa res, & illam non esse aliquid fictum: ergo de subiecto debet præcognosci quid nominis, & an sit, nisi demonstretur possibilitas alicuius rei; tunc enim satis est præcognosci quid nominis; non nego tamen aliquando debere præcognosci quid sit, quando proprietas per definitionem probatur; sed dixi quod communiter necessarium est ad omnem demonstrationem de subiecto præcognosci.

De prædicato quid.

De prædicato, ut est secundum præcognitum, debet necessariò præcognosci quid nominis, quia de eo cognoscitur in conclusione, an sit. De præmissis debet præcognosci quid nominis, & an sint verè, quia propter illas assentimur veritati conclu-

sionis: ergo illæ debent præcognosci verè, & multò magis quid significant.

Dico sextò. Dux tantum præcognitiones vniuersaliter ad omnem discursum sunt necessariae, quid nominis, & an sit. Aliæ verò quamuis ad aliquem discursum possint esse necessariae, non sunt tamen necessariae ad omnem discursum.

Ratio manifesta est, quia multæ sunt demonstrationes, in quibus de subiecto, prædicato, & præmissis debet solum præcognosci, quid nominis, & an sit, ut patet ex conclusione quinta.

Dux præcognitiones necessariae.

Probat. ur.

### SECTIO III.

#### De subiecto scientiæ, & demonstrationis.

Obiectum scientiæ aliud est complexum, & est conclusio tota demonstrationis obiectiue sumpta: aliud incomplexum, & est minus extremum conclusionis demonstratiuæ, soletque appellari magis propriè subiectum scientiæ, de quo hic quærimus, quanam res possit esse illud minus extremum, siue de qua re possit scientia haberi.

Obiecti scientiæ diuisio.

Dico primò. De ente rationis, & puro nihilo non potest haberi scientia perfecta totalis, sed imperfecta tantum, & secundariò per reductionem ad ens reale; ideoque subiectum perfectum demonstrationis est solum ens reale: ens autem fictum potest esse subiectum demonstrationis imperfectæ.

Conclusio negativa bipars.

Ratio primæ partis est, quia subiectum scientiæ debet habere causas, & proprietates reales: scientia enim est cognitio rei per causam: sed ens fictum nullas habet causas, & proprietates reales, ut patet: ergo non potest haberi de eo perfecta scientia. Deinde scibilitas est proprietas entis realis, sicut intelligibilitas; & hoc apertè docet Philosophus 4. & 11. Metaph. cap. 1. & subscribunt communiter omnes Philosophi.

Pars 1. probatur.

Ratio secundæ partis est, quia entia rationis sæpe considerantur in scientiis ut in Logica, & Metaphysica. Deinde possunt de non ente multa certò cognosci, v.g. quod non ens nullas habeat reales proprietates, quod sit cognoscibile secundariò, quod non sit existens: ergo scientia partialis & imperfecta potest dari de non ente. Nomine autem scientiæ hic non intelligimus cognitionem rei per causam necessariam, sed quamlibet cognitionem discursiuam euidentem.

2. Pars probatur.

Dico secundò. Subiectum demonstrationis, & scientiæ non debet esse ens per se, sed dari potest scientia de ente per accidens, quod habet unitatem aliquam ordinis: de aggregato autem per accidens materialiter sumpto non datur scientia. Quid & quotuplex sit ens per accidens in categoriis dictum est.

Conclusio negativa bipars.

Ratio primæ partis est, quia multæ scientiæ considerant ens per accidens, ut Medicina considerat animal, quatenus sanabile; Moralis hominem, quatenus capacem beatitudinis; Politica Rempublicam, Arithmetica numerum, Musica numerum sonorum: sed hæc omnia sunt entia per accidens ordinata: ergo ens per accidens ordinatum potest esse subiectum scientiæ.

Ratio primæ partis.

Ratio secundæ partis est, quia ens aggregatum per accidens sumptum materialiter, v.g. acervus lapidum, non habet vllas proprietates necessarias: ergo materialiter sumptum non est scibile. Materialiter, inquam, sumptum; nam sumptum formaliter potest habere veras proprietates, v.g. quod habeat multas essentias completas; & ut sic est aliquid scibile.

Secundæ partis ratio.



**Conclusio affirmatiua.** Dico tertio. Subiectum scientiæ, & demonstrationis, si sit aliquid creatum, debet esse aliquid commune, vel aliquid purè singulare secundum aliquam proprietatem communem: v.g. de Petro, vt Petrus est, non potest dari demonstratio, nec scientia: de Petro autem, vt homo est, potest dari scientia: vnde fit, vt de singularibus non detur scientia primo, & propriè; sed tantum secundario, & communiter.

**Probatur.** Ratio est, quia ens planè contingens, quod nullas habet proprietates necessarias, non potest sciri: sed singulare vt sic, est ens planè contingens, neque vllas habet proprietates necessarias, præter communes & essentielles: ergo singulare non potest sciri, nisi secundum proprietates communes, & essentielles.

**Obiectio prima & responsio.** Neque dicas primo, singularitatem esse aliquid scibile; hoc enim fateor: sed singularitas sumpta in communi non est aliquid purè singulare.

**Secunda illius responsio.** Neque dicas secundo, de Deo posse haberi scientiam, cum tamen sit ens singulare; hoc enim concedo: propterea in conclusione addidisti *si sit aliquid creatum*. Certum enim est, posse dari scientiam de Deo, cum sit ens necessarium, & habeat veras proprietates demonstrabiles per causam virtualem, vt dicitur inferius. Aduerte autem nos hinc semper loqui de scientia propriè dicta omnino immutabili. Nam si scientia significet notitiam certam, & claram, potest dari scientia de singularibus; quo pacto diximus propositiones de futuris esse determinate veras, sed hoc nomen scientiæ latius sumitur.

**Conclusio affirmatiua.** Dico quarto. Subiectum scientiæ, & demonstrationis debet esse incorruptibile, & æternum, id est inuariabile secundum essentialia prædicata, non quantum ad existentiam realem actualem. Ita Aristoteles primo posteriorum, cap. septimo, & sexto Ethicæ, cap. tertio.

**Probatur.** Ratio est, quia si obiectum scientiæ non sit inuariabile, scientia non erit certa, & infallibilis, idcirco in definitione scientiæ additur, illius obiectum non posse aliter se habere. Neque dicas, de rebus corruptibilibus dari scientiam; Physica enim est ferè tota de rebus corruptibilibus. Respondeo enim, dari scientiam de rebus, quæ sunt corruptibiles secundum existentiam actualem, sed incorruptibiles secundum veritatem prædicatorum essentialium; quia propositiones essentielles de illis semper sunt veræ. Huiusmodi est totum obiectum Physicæ.

#### SECTIO IV.

##### Maius extremum demonstrationis.

**V**idimus quam res possit esse subiectum scientiæ, siue de quibus possit aliquid sciri: videndum superest quam res sciri possint de huiusmodi subiecto.

**Conclusio prima.** Dico primo. Prædicatum demonstrationis à priori perfectissimæ, quæ potissima dicitur, necessariò est prima passio subiecti, id est illa proprietas, quæ immediatè fluit ab essentia: v.g. vt de homine fiat demonstratio potissima, prædicatum illius demonstrationis debet esse, *discursum*, quod immediatè fluit ab essentia hominis; & ab eo fluit admiratum, ab admiratiuo risibile; atque ita si risibile, vel admiratum sint prædicata demonstrationis, poterunt illa quidem esse à priori, sed non potissima.

**Probatur.** Ratio est, quia illa dicitur demonstratio potissima, in qua prima passio demonstratur de subiecto per differentiam essentialem.

**A** Dico secundo. Prædicatum demonstrationis à priori, quæ non est potissima, potest esse quacunque passio manans ab essentia subiecti.

**Probatur.** Ratio est, quia possunt proprietates probari per essentiam rei tanquam per veram causam: ergo possunt demonstrari à priori.

**Conclusio bipartita.** Dico tertio. Prædicatum essentialiale metaphysicum (id est pars definitionis) potest demonstrari à priori per causam extrinsecam, non per causam intrinsecam, v.g. rationalitas potest à priori demonstrari de homine per causam finalem, & efficientem (quæ vocantur causæ extrinsecæ) non autem per causam materiale, vel formalem (quæ dicuntur causæ intrinsecæ.)

**B** Ratio primæ partis est, quia prædicatum essentialiale metaphysicum habet veram causam extrinsecam, propter quam necessariò conuenit subiecto. V.g. rationalitas habet causam finalem, scilicet beatitudinem, propter quam necessariò conuenit homini. Domus habet causam finalem, propter quam ex recto & parietibus debet construi; quæ causa finalis est propulsatio iniuriarum aëris: ergo prædicatum essentialiale potest demonstrari à priori de aliqua re, cui conuenit.

**Ratio secundæ partis est,** quia essentia rei est primum in re, id est, nihil habet se prius intrinsecum rei: ergo essentia rei non potest probari per causam intrinsecam de ipsa re.

**C** Neque dicas: Hæc demonstratio est verè à priori. *Omne rationale est sensitiuum: omnis homo est rationalis: ergo est sensitiuum.* In ea enim medium est differentia constitutiva subiecti: ergo prædicatum essentialiale potest probari per causam intrinsecam.

Respondeo illam demonstrationem esse à posteriori, quamuis medium sit differentia constitutiva subiecti; medium enim non est causa prædicati, sed aliquid eo posterius, cum medium sit gradus inferior, prædicatum autem sit gradus superior.

**Dico quarto.** Prædicatum aliquod essentialiale, saltem physicum, potest demonstrari per causam intrinsecam subiecto, de quo demonstratur.

**Ratio.** Ratio est, quia forma substantialis est essentialis composito physico: sed illa potest demonstrari per materiam, quæ est causa intrinseca compositi, v.g. si dicas: *Omne quod habet materiam, habet formam: cælum habet materiam: ergo habet formam. Omne quod habet corpus organicum, habet animam: equus habet corpus organicum: ergo habet animam.* Quæ demonstrationes sunt verè à priori: ergo prædicatum aliquod essentialiale physicum potest demonstrari per causam intrinsecam. Neque dicas, essentiam rei non posse demonstrari à priori, quia nihil est in re prius ipsa essentia; & clarè Aristoteles docet, non posse de aliqua re demonstrari à priori, quid est; hoc enim intelligendum est vel de tota essentia, vel de prædicato essentiali metaphysico, non autem de prædicato essentiali physico.

**E** Dico quinto. Tota definitio potest demonstrari per causam intrinsecam, non per causam intrinsecam.

**Probatur.** Ratio est, quia definitio conuenit rei per aliquam causam extrinsecam: ergo potest per eam demonstrari. Sic demonstrare possumus domum esse compositum artificiale ex parietibus & recto per finem ipsius domus. Quod autem demonstrari non possit per causam intrinsecam, ratio est, quia in ipsa definitione adæquatè sumpta continentur omnia, quæ sunt de essentia rei, alioqui esset diminuta: ergo si definitio demonstraretur per aliquid intrinsecum, demonstraretur per seipsam; & in hoc sensu dixit



# Disp. V. Quæst. vnic. de Demonstratione. 81

dixit Philosophus, non posse à priori demonstrari quid est, quia peteretur principium.

Neque dicas. Existentia Dei propterea non potest demonstrari à priori vilo modo, quia est de essentia Dei; imò est ipsa Dei definitio: ergo prædicatum essentiale, & definitio non possunt vilo modo probari à priori.

Resp. Distinguo consequentiam, concedo antecedens; nullum prædicatum essentiale Deo potest probari à priori, concedo; essentiale creaturis, nego: quia existentia v. g. quæ Deo essentialis est, non potest probari à priori per causam intrinsecam, nihil enim est in re prius essentia; neque per causam extrinsecam, quia Deus non habet causam extrinsecam; ideoque nullo modo probari potest à priori existentia Dei, vel vllum eius prædicatum essentiale. At verò definitio, & essentia rei create habet causam extrinsecam, per quam etiam probari potest.

De prædicato demonstrationis à posteriori nihil opus est dicere, cum constet illud esse vel causam mediæ, vel aliquid aliud necessariò connexum aliquo modo.

## SECTIO V.

### De medio demonstrationis, & scientiæ.

Demonstrationis extrema.

**E**Xtrema demonstrationis sunt subiectum, & prædicatum, quæ hæcenus exposuimus. Cum autem non sint membra demonstrationis, nisi quatenus per medium aliquod cognoscuntur, operæ pretium est inquirere, quale medium ad veram scientiam requiratur. Primum quidem *in genere*: secundò ad demonstrationem *propter quid*: tertio ad demonstrationem *quia*.

Affertio affirmans.

Dico primò, medium cuiuscunque demonstrationis debet esse necessarium, id est necessariò coniunctum cum prædicato & subiecto conclusionis.

Necessarium quid sit.

Obserua, *necessarium* illud dici, quod implicat contradictionem aliter se habere: medium ergo illud dicitur necessarium, quod implicabit contradictionem non esse coniunctum cum maiori, & minori extremo. Propositio illa est necessaria, cuius prædicatum ita vnitur subiecto, vt implicet non vniri: hæc necessitas vocari etiam solet *infallibilitas*, & *certitudo obiectiua*; scilicet ipsa res propterea non potest se aliter habere. De formali certitudine infra dicam.

Ratio.

Ratio conclusionis est, quia medium demonstrationis debet esse tale, vt ex euidenti, & necessaria connexionem sui cum extremis, certò & euidenter inferat conjunctionem eorundem in conclusionem: sed non potest inferre necessariam illam connexionem, nisi sit necessarium: ergo medium cuiuscunque demonstrationis debet esse necessarium.

Instantia.

Neque dicas: Hæc est vera demonstratio: *Quætiescunque inter Solem & Lunam interponitur terra, fit eclipsis: sed quando Sol, & Luna deueniunt ad ea puncta, quæ dicuntur caput, & cauda draconis, terra interponitur inter verumque: ergo tunc fit eclipsis.* Et tamen medium huius demonstrationis non est necessarium: ergo medium demonstrationis non debet esse necessarium.

Si satisfic.

Respondeo, illam esse demonstrationem non absolutè, sed ex suppositione statûs rerum, quo supposito medium illud est necessaria causa eclipsis; medium ergo est necessarium ex suppositione, sicut conclusio est demonstratiua ex suppositione. Quem autem gradum necessitatis exigit habere medium,

A dicitur *sectione sexta* commodiùs, cum totam necessitatem præmissarum exponemus.

Dico secundò, In omni demonstratione medium debet esse causa cognoscendi prædicatum conclusionis. Causa alia dicitur *cognoscendi*, alia *essendi*. Causa cognoscendi illa est, quæ ducit nos in cognitionem rei ignotæ; v. g. gemitus est causa doloris, non essendi, sed cognoscendi; ducit enim nos in cognitionem doloris, cuius est signum. Causa verò essendi dicitur illa, quæ dat esse ipsi rei, vt ignis est causa caloris, & dolor causa gemituum. Quo posito certum est, medium esse causam cognoscendi in qualibet demonstratione, quia est ratio deducens intellectum in cognitionem conclusionis ignotæ; quod caret difficultate. Venio autem ad demonstrationem *propter quid*, de cuius medio multò grauior est controuersia.

Dico tertio. Medium demonstrationis *propter quid*, debet esse causa essendi prædicati conclusionis; sufficit autem vt sit causa virtualis.

Obserua, causas alias esse actuales, alias virtuales. Causa *actualis* dicitur, quæ verè producit effectum à se distinctum, vt Sol actualis est causa luminis per aerem producti. Causa *virtualis* dicitur ea, quæ non producit quidem id, cuius dicitur causa, nec ab eo distinguitur; si tamen illud haberet causam aliquam, non aliam haberet quàm illam: v. g. immutabilitas Dei dicitur causa virtualis aternitatis, quia non distinguitur quidem ab illa, nec eam vilo modo producit; si tamen aternitas haberet aliquam causam, non aliam haberet, quàm immutabilitatem, ideo immutabilitas infert aternitatem. Breuius etiam causa virtualis dici posset illa, quæ infert aliam, à qua tamen non distinguitur realiter. Hoc posito,

Ratio, cur medium demonstrationis à priori sit necessariò causa essendi, est quia demonstratio *propter quid*, differt à demonstratione à posteriori: sed in demonstratione à posteriori medium est causa cognoscendi; ergo in demonstratione à priori medium est causa non solum cognoscendi, sed etiam essendi.

Ratio, cur sufficiat causa virtualis, est quia illa est demonstratio à priori, quæ ostendit *propter quid* res sit necessariò: sed vbi causa virtualis est medium, ostenditur *propter quid* res sit necessariò; affertur enim aliquid, quo posito impossibile est rem non esse: ergo est demonstratio tunc à priori, quando medium causa est virtualis.

Confirmatur, quia Metaphysica, & Theologia naturalis est vera scientia: sed non procedit nisi per causas virtuales: ergo sufficiunt cause virtuales.

Postremò hæc demonstratio: *Omne immutabile est æternum: Deus est immutabilis: ergo est æternus*; non est syllogismus tantum probabilis, cum concludat necessariò; non est sophisticus: ergo est demonstratiuus.

Dico quartò. Causa remota minus latè patens potest esse medium demonstrationis *propter quid*; causa verò remota latius patens non potest esse medium demonstrationis nisi à posteriori.

Obserua primò, causam proximam illam dici, *Inter quam & effectum non intercedit alia causa*, vt calor est causa caloris alterius: causam remotam illam dici, *Inter quam & effectum intercedit alia causa*.

Obserua secundò, causam remotam aliam esse adequatam, aliam inadquatam. Adequata causa illa est, quæ conuertitur cum effectum, vt rationalitas est causa adequata risibilitatis; nihil enim est risibile, quod non sit rationale: nihil rationale, quod non sit risibile.

Affertio 2. affirmans.

Cause actualis definitio. Cause virtualis definitio.

Ratio prima pro medio demonstrationis à priori.

Causa virtualis sufficit.

Conclusio 4. bipartita.

Causa proxima & remota definitio.

Causa remota duplex accessio.

LIBRARIUS



non sit risibile. Causa inadæquata illa est, quæ non convertitur cum effectu, ut natura sensitiva est causa inadæquata respirationis; multa enim animalia sentiunt, & non respirant.

Causæ inadæquata duplex acceptio

Oblerua tertio, causam inadæquatam aliam esse superiorem, id est magis latè patentem; aliam esse inferiorem, id est minùs latè patentem. Causa superior est, quæ non infert quidem effectum, sed posito effectu infertur: v. g. animalitas non infert respirationem, sed posita respiratione infertur animalitas. Causa inferior illa est, quæ infert effectum, & tamen ab effectu non infertur; ut vinum est causa saltationis, quia illam infert, quamvis ab illa non inferatur. Rursus autem causa inadæquata alia est necessariò coniuncta, ut animalitas est causa respirationis; alia non est necessariò coniuncta, ut saltatio respectu vini, à quo non necessariò infertur. Hoc posito

Ratio primæ partis.

Ratio primæ partis est, quia quotiescumque conclusio infertur ex medio, tanquam ex causa inferente effectum, est vera demonstratio à priori: sed quoties medium est causa remota inferior, conclusio infertur tanquam ex causa; causa enim remota inferior illa est, quæ verè infert effectum, quamvis ab eo non inferatur: ergo effectus sequitur ex ea, tanquam ex causa, & sic est demonstratio à priori.

Ratio secundæ partis.

Ratio secundæ partis est, quia quoties effectus non sequitur ex causa, ut causa, non est demonstratio à priori, sed à posteriori; sed quando medium est causa superior, effectus non sequitur ex causa ut causa, quia superior causa illa dicitur, quæ non infert effectum: ergo non est demonstratio à priori.

Quod autem sit demonstratio à posteriori, probatur, quia quando aliquid infertur necessariò ex alio, tunc est vera demonstratio: sed conclusio infertur necessariò ex præmissis continentibus causam superiorem; nam si in iis effectus infertur sicut ex negatione prædicati superioris, sequitur negatio prædicati inferioris; v. g. sicut ex negatione sensitivi probatur negatio rationalis: ergo est vera demonstratio à posteriori. Minor probatur, quia licet non inferat effectum causa illa, negatio tamen illius infert negationem effectus; quamvis enim animalitas non inferat respirationem, negatio tamen animalitatis infert negationem respirationis.

Ex quo inferes, ad demonstrationem *propter quid*, sufficere causam proximam, vel causam remotam adæquatam, siue reciprocam; quia nemo negat hanc esse veram demonstrationem à priori: *Omne rationale est risibile*; & tamen est per causam adæquatam reciprocam.

Affertio 5. bipartita.

Dico quintò. Medium demonstrationis à priori non potest esse quodlibet genus causa, sed sola causa efficiens, & finalis prædicati conclusionis; causa verò materialis, & formalis propriè dicta non possunt esse medium huius demonstrationis.

Ratio primæ partis.

Ratio primæ partis est, quia primò Aristoteles cap. 1. lib. 2. ait, *medium debere esse causam extrinsecam*, v. g. hæc est vera demonstratio à causa efficiente, cum calor probatur per ignem; cum *risibile* probatur per *rationale*. Per causam autem finalem durities demonstrari potest de dentibus, quia debent cibos minuire, & in moralibus alia multa: ergo causa efficiens, & finalis possunt esse medium demonstrationis.

Ratio secundæ partis.

Ratio secundæ partis est, quia medium debet esse aliquid distinctum à subiecto, & prædicato conclusionis: sed causa materialis propriè dicta ipsius accidentis, est ipsum subiectum accidentis, quod est subiectum conclusionis: causa verò formalis pro-

priè dicta ipsius accidentis est prædicatum conclusionis; nam est ipsa entitas accidentis: ergo causa materialis, & formalis propriè dicta non est medium demonstrationis à priori.

Causa verò materialis impropriè dicta est ipsa essentia rei, à qua emanant proprietates tanquam à fundamento; causa formalis impropriè dicta est forma constitutiva totius compositi, quod est subiectum accidentis. Et hæc possunt esse medium demonstrationis à priori. A causa materiali impropriè dicta sunt ex demonstrationes: *Omne materiale est corruptibile: sed elementum est materiale: ergo est corruptibile*. Item: *Quidquid est rotundum, & successivè applicatur corpori luminoso, illuminatur successivè: sed Luna est rotunda, & successivè applicatur Soli: ergo successivè illuminatur*. Figura enim est dispositio se tenens ex parte materiae. A causa formali sunt hæc demonstrationes: *Omne compositum quod habet formam existentiæ perpetua connexionis cum materia, est incorruptibile: cælum habet huiusmodi formam: ergo cælum est incorruptibile*. Item: *Omne corpus, quod habet animam rationalem, exigit hæc, & hæc organa: sed corpus humanum habet animam rationalem: ergo exigit hæc, & hæc organa*.

Dico sextò. Medium demonstrationis à priori non est semper definitio formalis subiecti; potest tamen esse definitio formalis prædicati. Nomine *definitionis*; non intelligitur integra definitio rei, sed tantum pars definitionis.

Ratio primæ partis est, quia in demonstrationibus ubi secunda passio probatur per primam, vel tertia per secundam, medium non est definitio formalis subiecti, ut patet; prima enim passio non est differentia essentialis subiecti: ergo non requiritur in omni demonstratione, ut medium sit formaliter definitio subiecti.

Ratio secundæ partis est, quia potest demonstrari v. g. hominem esse discursivum per definitionem ipsius discursivi, quia scilicet est aptus ad discurrendum. Tunc autem medium erit formalis definitio prædicati. Deinde, quia illa definitio est aliquo modo causa, cur prædicatum insit subiecto: ergo potest esse medium demonstrationis à priori.

Neque dicas. Causa formalis propriè dicta prædicati non potest esse medium demonstrationis à priori, ut nuper diximus; hoc enim distingo: si causa formalis significet ipsam entitatem accidentis, concedo; si significet definitionem, nego: hæc enim erit causa formalis tantum impropriè dicta, quæ potest esse medium demonstrationis à priori.

Dico septimò. Medium demonstrationis potissimum est definitio formalis subiecti, & causalis prædicati.

Ratio est, quia in demonstratione potissima medium est differentia constitutiva subiecti, & prædicatum est prima proprietas subiecti: sed hæc differentia est definitio formalis subiecti, & causalis prædicati: ergo, &c.

Dico octavò. Medium demonstrationis à posteriori potest esse quidquid non est causa prædicati conclusionis, modò necessariò sit coniunctum, siue sit effectus, siue signum, siue aliquid concomitanter se habens, siue causa remota superior.

Ratio est, quia quoties demonstratio non est à priori, est à posteriori: sed quando medium non est causa, vel est causa remota superior, non est demonstratio à priori, ut probatum est: ergo medium demonstrationis à posteriori potest esse quidquid non est causa, vel est causa latius patens. Quatuor ergo genera demonstrationis à posteriori assignari possunt. Primò, quando medium est effectus prædicati conclusionis,

Ratio 1. Quatuor genera demonstrationis assignantur.

Causa materialis impropriè dicta, & causa formalis impropriè dicta quid sint.

Conclusio 6. bipartita.

Ratio primæ partis.

Ratio secundæ partis.

Obiectio.

Ei satisficit.

Conclusio 7.

Conclusio 8.

Ratio 1.

Quatuor genera demonstrationis assignantur.



# Disp. V. Quæst. vnic. de Demonstratione. 83

conclusionis, quando scilicet nobis antea notum est effectum esse, & inde inferimus, dari talem causam, ex qua talis effectus provenit: v. g. ex eo quod dies est, arguimus præsentiam solis. Neque dicas, tunc peti principium, cum à posteriori recurrimus ad aliquid prius; hoc enim verum tantum est, quando posterius est æquè ignotum ac prius: nos autem supponimus, effectum esse notiorē causā, saltem quoad nos. Secundò, quando medium non est effectus prædicati conclusionis, sed signum, & vocari solet demonstratio à signo. Tertiò, quando medium est aliquid concomitanter se habens, neque prius, neque posterius, ut cum vna relatio mutua demonstratur per aliam, vel vna passio per aliam, v. g. flebile per risibile. Quartò, quando medium est causa remota latius patens; ut si probes respiracionem per animalitatem.

## SECTIO VI.

### Premissæ demonstrationis in genere.

Partes demonstrationis incomplexas hæcenus declaravimus, ex quibus conficiuntur propositiones complexæ constantes proximè ipsam demonstrationem. Conditiones illarum plurimas attulit Aristoteles: primò ut sint veræ; secundò ut sint certæ: tertiò ut evidentes: quartò ut propriæ. Sed quia fundatur tota doctrina Philosophi in eo celeberrimo axioma, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, quo probantur conditiones allatæ præmissarum demonstrationis; idè ante omnia illud examinandum est; de quo vide Albertinum *sexto principio, toto*, Suarez *disp. 26. & 44. sect. 11. num. 1.*

### §. I.

Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, quomodo verum.

Axiomatis  
explicatio.

Ico primò. Aristotelis axioma significat omnem causam esse perfectiorem effectui à se producto, tum propter independentiam, tum propter perfectionem entitativè maiorem; & est verum in omnibus causis, modo debitæ adsint conditiones.

Axiomatis  
tres condi-  
tiones.

Obserua, tres exigi conditiones, ut axioma hoc verum sit. Prima est, ut ea perfectio, in qua comparatur causa & effectus, sit capax intensioris, & extensionis; si enim extendatur, causa erit extensior; si intendatur, causa erit intensior quàm effectus. Defectu illius conditionis non licet dicere, *Filius est homo propter patrem: ergo pater est magis homo, quàm filius*; nam humanitas non suscipit magis, & minus. Secunda conditio est, ut ea perfectio, in qua fit comparatio, conveniat tum causæ, tum effectui; idè non valet, *Homo est ebrius propter vinum: ergo vinum est magis ebrium*. Terra est calida propter solem: ergo sol est magis calidus; quia vinum non est capax ebrietatis, & sol non est capax caloris. Tertia est, ut ea perfectio conveniat causæ primò & per se, effectui autem non aliunde conveniat, quàm per talem causam; idè non valet, *Discipulus est doctus propter magistrum: ergo magister est magis doctus*. Non valet, inquam, quia discipulus potest esse doctus aliunde, quàm à magistro. Suarez igitur loco citato, existimat, nihil aliud significari hoc axioma, quàm quod causa nobiliori modo participet perfectionem à se productam, eo quod effectus illam participet dependenter à causa, causa verò indepen-

der ab effectu: participare autem independentèr aliquam perfectionem, est nobiliori modo participare. Nos cum Albertino dicimus significari præterea, quod causa non solum nobiliori modo participet perfectionem à se productam, sed etiam illam maiorem participet, & intensiorem, modò tres illæ conditiones adsint, idque in omni causarum genere, contra Hurtadum *disp. 11. sect. 3.* qui ait, *valere hoc axioma tantum in causa finali.*

Ratio autem est, quia nullus potest afferri casus, in quo verum illud non sit, modò tres illæ conditiones reperiantur: ergo debet intelligi non solum de nobiliori modo, sed de maiori perfectione. Antecedens probatur inductione.

Primò in causis vniuoecis nunquam causa producit effectum sibi æqualem in intensione, v. g. ignis nunquam producit in manu calorem suo calori æqualem: sol non producit in aère splendorem æqualem suo; ergo causa est intensius perfectior effectu. Neque dicas, ignem generare ignem sibi similem; fateor enim non valere axioma in eo casu defectu primæ conditionis; forma enim substantialis ignis non suscipit magis, & minus. Neque addas, effectum vniuoecum esse æquè perfectum ac suam causam; hoc enim distinguo: est æquè perfectus quoad essentiam, concedo; quoad gradum intensioris, nego. Sed ea de re in libris de ortu & interitu fusior erit, & opportuniore disputatio.

Secundò in causa finali valet: *Propter beatitudinem dolores sunt appetibiles: ergo beatitudo est magis appetibilis*. Non valet autem si dicas: *Homo propter beatitudinem orat: ergo beatitudo magis orat*; deest enim secunda conditio; nam orare non est perfectio, quæ convenire possit beatitudini. Neque obstat, si dicas, medium sæpè appetibilius esse, quàm finem, ut si quis oret Deum, ut furetur; deest enim tertia conditio, cum effectus habeat perfectionem suam aliunde quàm à fine.

Tertiò in causa formali: *Sol est pulcher propter lucem: ergo lux est magis pulchra*. Si autem dicas: *Homo est calidus propter calorem: ergo calor est magis calidus*, non valebit defectu secundæ conditionis, quæ requirit ut eadem perfectio sit eandem rem, & nomen conveniat causæ, & effectui: esse autem calidum non convenit calori.

Quartò in causa materiali: *Vas lucet propter aurum: ergo aurum magis lucet*. Non valet autem si dicas: *Homo propter materiam est corruptibilis: ergo materia est magis corruptibilis*; deest enim secunda conditio, quia materiæ non convenit corruptibilitas.

Quintò. In causa efficiente: *Corpus mixtum gravitat propter terram: ergo terra magis gravitat*. Maneat ergo verum esse hoc axioma bene intellectum in omni genere causæ; ex quo non erit difficile conditiones præmissarum demonstrationis eruere.

### §. II.

Quomodo præmissæ debeant esse veræ.

Ico primò. Præmissæ demonstrationis debent necessariò esse veræ.

Ratio est, quia conclusio ut deducta debet fieri, & cognosci vera per præmissas: sed præmissæ non possunt dare veritatem, quàm ipsæ non habent: ergo debent esse veræ.

Confirmatur, ut conclusio formaliter sumpta sit vera, oportet ut assentiamur vnioui extremorum inter se propter vniorem illorum cum medio: sed si præmissæ sint falsæ, non possumus assentiri vnioui extremorum.

Probat.

In causa finali.

In causa formali.

In causa materiali.

In causa efficiente.

Præmissarum veritas vnde petatur. Ratio.

Confirmatio.



extremorum inter se propter unionem illorum cum medio: sed si præmissæ sint falsæ, non possumus assentiri unioni extremorum inter se propter unionem illorum cum medio; non enim illi medio uniuntur: ergo debent esse veræ.

Obiectio & eius solutio.

Neque dicas, ex falsis præmissis sequi posse veram conclusionem, ut si dicas: *Omnis lapis est substantia: omnis homo est lapis: ergo omnis homo est substantia.* Vbi minor est falsa, & conclusio vera. Respondi enim supra, ex falsis præmissis posse sequi conclusionem veram materialiter sumptam, non autem sumptam formaliter, ut ex præmissis deductam. Conclusio autem demonstrationis debet esse vera, ut deducta, non tantum materialiter sumpta; & hoc controuersia caret. Videndum superest, quomodo præmissæ debeant esse veriores conclusione.

Assertio 2. de veritate præmissarum, bipartita.

Dico secundò. Si veritas sumatur formaliter, præmissæ non sunt veriores conclusione: si autem sumatur fundamentaliter, ita ut significet infallibilitatem, præmissæ sunt veriores conclusione. Veritas sumpta formaliter est *conformitas cognitionis cum re cognita*: veritas fundamentaliter sumpta, est *necessitas & infallibilitas ipsius rei*. Primo modo negat conclusio, posse vnum esse verius alio, sed illam veritatem dicit esse indiuisibilem. Secundo autem modo sumptam veritatem asserit non consistere in indiuisibili, sed vnum posse esse verius alio fundamentaliter, id est infallibiliter, & magis necessarium; sicut fides dicitur esse verior scientiâ, id est, infallibilior; & verius esse quod Deus sit, quam quod homo existat.

Ratio primæ partis.

Ratio primæ partis est, quia conformitas conceptus cum obiecto consistit in indiuisibili: ergo nihil potest esse formaliter verius alio, sicut vnum punctum non potest dici maius alio, eo quod vtrumque sit indiuisibile. Probo antecedens. Conformitas est quædam æqualitas duorum: sed æqualitas consistit in indiuisibili: ergo conformitas consistit in indiuisibili.

Secundò, si aliqua esset causa, cur aliquid deberet esse verius alio, esset quia est perfectius: sed hoc non facit verius, quia v. g. duo palmi aurei non magis sunt æquales, quam duo palmi lignici: ergo vnum non est verius alio veritate formali.

Ratio secundæ partis.

Ratio secundæ partis est, quia præmissæ sunt magis infallibiles, & euidenter conclusionem, quæ per illas fit euidenter, & infallibilis, ut probabitur in sequentibus: ergo sunt veriores fundamentaliter, id est perfectius & infallibiliter veræ. Deinde communiter dicitur, verius esse quod Deus sit Trinus, quam quod paries sit albus, & ita de reliquis.

Obiectio 1. & eius solutio.

Obiicies primò. Potest aliqua propositio esse falsior aliâ: ergo potest esse verior. Respondeo, nego consequentiam, quia veritas est æqualitas, idcirco in indiuisibili sita est: falsitas autem, cum sit recessus, non consistit in indiuisibili; possum enim v. g. recedere magis aut minus à pariete, quamuis illum non possim tangere nisi vno modo. Pariter non nisi vno modo res est vera, quamuis possit multipliciter esse falsa.

Obiectio 2. & eius solutio.

Obiicies secundò. Potest vnus actus certior esse, & euidentior alio: ergo potest esse verior. Resp. nego consequentiam, disparitas enim est inter veritatem, quæ est æqualitas; & certitudinem, quæ est infallibilitas, quod veritas consistat in indiuisibili, infallibilitas autem, & claritas suscipiant magis & minus, ut dicam §. 4.

Obiectio 3.

Obiicies tertio. Vnus actus voluntatis potest esse melior, vel prior alio: ergo vnus actus intellectus potest esse altero verior; sicut enim veritas consistit in indiuisibili, quæ est æqualitas, & con-

formitas cum obiecto; ita bonitas consistere debet in indiuisibili, quia est conformitas cum recta ratione.

Respondeo, nego paritatem, quia bonitas est quidem conformitas rei cum recta ratione, sed includit præterea ipsam rei perfectionem; atque ita quatenus dicit solam conformitatem, consistit in indiuisibili; quatenus autem præterea includit perfectionem entitativam rei, non consistit in indiuisibili: v. g. dare centum nummos pauperi, melius est quam dare vnicum nummum, quia illa bonitas non solum includit conformitatem cum recta ratione, sed etiam perfectionem intrinsecam actus, quæ in vno maior est quam in alio. At veritas nihil includit præter conformitatem cum obiecto, si sumatur formaliter, idcircoque consistit in indiuisibili.

Obiicies quartò. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis: sed conclusio vera est per præmissas: ergo præmissæ sunt magis veræ, quam conclusio.

Respondeo maiorem esse falsam, quando perfectio illa non suscipit magis & minus: veritas autem non suscipit magis & minus, sed in indiuisibili sita est; unde non valet argumentum ab axiomatico illo deductum.

### §. III.

Quomodo debeant esse certæ, & necessaria.

Dico primò. Præmissæ demonstrationis debent esse certæ certitudine formali, tum essentiali, seu ex parte obiecti; tum accidentali, seu ex parte subiecti.

Obserua primò, certitudinem formalem (de qua sola hic loquimur) esse cognitionem intellectus ita veram, ut non possit esse falsa; in quo differt à certitudine obiectiua, quæ ut dicebam *scilicet* §. est ipsum obiectum propter necessitatem, & infallibile; & idcirco non vocatur propriè certitudo, quod nomen soli certitudini formali propriè conuenit, illa enim est actus intellectus, in quo solo dicitur esse certitudo, sicut & veritas. Certitudo ergo formalis est duplex. Alia essentialis, quæ vocatur certitudo ex parte obiecti; alia verò accidentalis, quæ vocatur certitudo ex parte subiecti, id est ex parte intellectus. Certitudo essentialis est cognitio, cuius obiectum est necessarium. Certitudo accidentalis est firma adhesio intellectus ad aliquod obiectum sine formidine oppositi. Hanc vtramque reperiri debere in præmissis demonstrationis, clarum est. Essentialem quidem, quia præmissæ habent obiectum necessarium, ut *scilicet* §. ostensum est: ergo ita sunt veræ, ut non sint falsæ. Deinde si possent esse falsæ, conclusio ex his deducta posset esse falsa. Accidentalem autem, quia præmissæ sunt ratio propter quam intellectus firmiter assentitur conclusioni sine formidine: ergo debet assentiri præmissis sine formidine. Quo posito superest ut videamus, qualem gradum certitudinis habere debeant præmissæ demonstrationis in genere. Nam, vtrum sint certiores conclusionem, dicitur sequenti paragrafo.

Obserua igitur secundò, tres ab Aristotele distingui gradus necessitatis præmissarum. Primus est, ut sint de omni: secundus, ut sint per se: tertius ut sint de prædicato vniuersalissimo, & quatenus ipsum. Quæ tria sigillarim exponenda sunt. Dico secundò. Præmissæ demonstrationis debent esse de omni, non solum prioritice, sed etiam posterioritice.

Obserua propositionem de omni esse illam, cuius prædicatum

Tres gradus præmissarum.

Propositio de omni qualis sit.



prædicatum conuenit omnibus inferioribus subiectis, & semper; vt hæc propositio, *Homo est animal*, est de omni. Aristoteles sic illum explicat. Propositio de omni ea est, quæ dicitur de prædicato, quod est non in aliquo quidem, & in aliquo quidem; aut aliquando quidem, & non aliquando quidem. Requirit enim propositio de omni vniuersalitatem subiecti, & vniuersalitatem temporis; ideoque aliud est dictum de omni prioristitum, cuius prædicatum conuenit omnibus inferioribus subiectis, sed non semper, id est, quod habet vniuersalitatem subiecti, sed non temporis. Vocatur prioristitum, quia de illo agitur in libris Priorum. Dictum de omni posterioristitum illud est, quod conuenit omni subiecto, & semper, vel certe vltimum, v. g. hominem habere quinque digitos, canescere in senectute, est dictum de omni posterioristitum, quia quamuis non conueniat semper omni homini, vltimum tamen conuenit. Vocatur posterioristitum hoc dictum de omni, quia de illo agitur in libris Posteriorum.

Neque dicas: Illa, quæ dicuntur de Deo, non sunt vniuersalia; & tamen sunt demonstratiua. Respondeo enim ex Caetano, duobus modis posse aliquid esse de omni. Primò posituè si conueniat pluribus inferioribus; & hoc modo diuina prædicata non sunt de omni. Secundò negatiuè, cum nihil potest sumi sub tali subiecto, de quo prædicatum non dicatur. Prædicata de Deo non sunt de omni posituè, sed solum negatiuè; quod sufficit ad demonstrationem.

Ratio ergo conclusionis est, quia propositiones demonstratiuæ debent esse necessariae: sed non possunt esse necessariae, nisi prædicatum sit de omni posterioristitè, id est, nisi conueniat omni & semper: ergo prædicatum debet esse de omni posterioristitè, & consequenter ipsa præmissa.

Dico tertio. Ad demonstrationem simpliciter loquendo non est necessarium vt propositiones sint in aliquo modo dicendi per se, sed ad perfectissimas necessarium est.

Obserua, *dici per se*, aliquando significare idem ac *precisè*; aliquando idem ac *non per aliud*, aliquando modum producendi oppositum ei, quod est esse per accidens, & in eo sensu usurpatur hoc loco *dici per se*.

Nam propositio *per se*, illa dicitur, cuius prædicatum habet nexum essentialem cum subiecto, non quod sit de essentia subiecti, sed quod subiectum ex vi naturæ suæ illud prædicatum exigit. Plus est ergo propositionem esse *per se*, quam esse de omni; estque maior gradus necessitatis: v. g. hæc propositio, *Coruus est niger*, est de omni; sed non est *per se*, quia coruus non exigit nigredinem ratione suæ naturæ. Hæc verò, *Coruus est animal*, est de omni, & *per se*. Huiusmodi propositiones *per se* quatuor ex Aristotele habent modos, quos communiter dicimus modos dicendi per se.

Primus est quando prædicatum inest subiecto, & est de illius essentia, ac definitione. Hoc accidit quando prædicatum est vel definitio subiecti, vel pars definitionis, vt, *Homo est animal rationale*. Illa verò, *Omne risibile est rationale*, non est in primo modo dicendi per se propriè, quia prædicatum illud, *rationale*, non inest subiecto; si tamen velis hanc conditionem excludere, erit reuerà in primo modo dicendi per se. Qui modus reperitur quidem in demonstratione potissima, quæ probat primam passionem de subiecto per differentiam constitutionis, sed non est necessarius ad quamcumque demonstrationem.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

**A** Secundus modus dicendi per se est, cum subiectum est de definitione prædicati, siue quando passio prædicatur de subiecto; subiectum enim ingreditur definitionem proprietatis, vt, *Homo est risibilis*; oportet autem vt prædicatum sit accidens proprium conueniens soli. Cum verò dicitur, *Petrus est risibilis*; non est *per se*, quia Petrus non est de definitione risibilis: hic modus non est necessarius ad omnem demonstrationem, sed ad eam tantum, quæ demonstrat secundas passiones de subiecto, vt cum esse admiratiuum probatur per discursuum.

**Tertius** Tertius modus dicendi per se est cum de primis, vel secundis substantiis prædicatur existentia, vt cum dicitur, *Homo est*; quæ propositiones ideò dicuntur per se, quia subiectum habet per se tale prædicatum, scilicet existentiam; nam substantiæ per se subsistunt, non autem in alio: accidentia sola existunt in alio. Hic modus dicendi per se, est ineptus ad demonstrationem de rebus creatis, quibus existentia conuenit accidentariò; valere tamen potest quando demonstrantur passiones ipsius substantiæ existentis.

**Quartus** Quartus modus dicendi per se, est quando prædicatum est causa finalis, vel efficiens subiecti, sed necessariò coniuncta, vt, *Iugulatus interit*; interitus enim euidenter inferitur ex iugulatione.

**C** Ex quibus omnibus satis patet, cur dixerim, præmissas cuiusvis demonstrationis non debere esse in vltimo modo dicendi per se; nam multæ possunt afferri demonstrationes, quarum præmissæ non sint in vltimo ex his modis, quos assignauimus, non tantum à posteriori, sed etiam à priori; hæc enim est vera demonstratio: *Omne risibile est rationale: Petrus est rationalis: ergo*, &c. Et tamen, vt dixi, maior non est in vltimo modo dicendi per se.

Quod verò in demonstratione perfectissima præmissæ debeant esse in aliquo modo dicendi per se, clarum est; in ea enim prima passio probatur de subiecto per propriam subiecti essentiam; ideoque maior propositio est in secundo modo dicendi per se, minor autem in primo; vt, *Omne rationale est discursuum: omnis homo est rationalis: ergo*, &c.

**D** Dico quartò. Non est necessarium ad quamlibet demonstrationem, vt præmissæ sint de prædicato vniuersalissimo, & secundum quod ipsum; sed ad solam demonstrationem potissimam hoc requiritur.

**E** Obserua, propositionem de prædicato vniuersalissimo definiri ab Aristotele, *Cuius prædicatum est de omni per se, & quatenus ipsum*; id est propositio de prædicato vniuersalissimo illa est, cuius prædicatum nec excedit subiectum, nec ab eo exceditur, sed est reciprocum, vt illa propositio: *Homo est rationalis*, est de prædicato vniuersalissimo, quia rationale nec excedit hominem, nec ab eo exceditur; sed ista, *Homo est animal*, non est de prædicato vniuersalissimo, quia animal latius patet, quam homo. Hoc prædicatum vocatur, *quatenus ipsum*, quia conuenit subiecto quatenus tale est, siue quatenus est talis speciei. Vocatur etiam prædicatum vniuersalissimum, quia ita conuenit tali subiecto, vt non possit conuenire vlli, nisi ratione talis subiecti. Subiectum autem harum propositionum vocatur subiectum primum, quia eo primum posito ponitur prædicatum; & eo primum sublato, tollitur; ideoque prædicatum hoc debet esse vel definitio subiecti, vel differentia constitutionis, vel proprietas specifica, siue reciproca.

H Ratio

Secundus

Tertius

Quartus

Conclusio

Propositio de prædicato vniuersalissimo quid sit.

Aliquid potest esse de omni duobus modis.

Id est per se, quid significet.

Propositiones per se, quatuor habent modos.



Ratio.

Ratio ergo conclusionis est, quia multæ demonstrationes fiunt, in quibus non reperitur definitio subiecti, vel differentia constitutiva, nec proprietas specifica: v.g. si dicam, *Omne animal sentit: omnis homo est animal: ergo omnis homo sentit.* Ergo non omnis demonstratio exigit præmissas de prædicato reciproco, sed sola demonstratio potissima, cuius medium est differentia constitutiva subiecti, & maius extremum proprietates reciproca.

## S. I V.

*Quomodo debeant esse evidentes.*

Conclusio.

Dico primò. Præmissæ demonstrationis, saltem purè naturalis, id est distinctæ à Theologica, debent esse non solum certæ, sed etiam evidentes. Ita Philosophus sapè, qui ad scientiam exigit *evidentiam, & certitudinem.* Refragantur nonnulli Theologi asserentes ad rationem scientiæ sufficere certitudinem sine evidentia; Theologiam enim suam dicunt veram esse scientiam, quamvis sit inevidens.

Evidentia quid sit.

Obserua, evidentiam esse veritatem alicuius rei, cui non potest intellectus dissentiri. Potest autem dici duplex: altera obiectiva, altera formalis. Evidentia obiectiva est obiectum, quod ita ostenditur intellectui, ut non possit intellectus ei dissentiri. Formalis est actus intellectus circa obiectum, cui dissentiri non potest. Distinguitur ergo evidentia à certitudine, quod certitudo sit actus ita verus, ut nequeat esse falsus; evidentia autem sit actus circa obiectum, cui non potest intellectus dissentiri. In fide diuina reperitur certitudo sine evidentia, vnde concludimus distingui evidentiam à certitudine, quod Philosopho fuit ignotum: nullus autem est actus evidens, qui non sit etiam certus; imò nullus actus, aut habitus naturalis potest esse certus, qui non sit etiam evidens. Reliqua de certitudine, & evidentia dicentur alibi.

Probatur.

Ratio conclusionis est, quia conclusio scientifica non solum debet esse certa, sed etiam evidens, alioqui non differret à fide, si solum haberet certitudinem: ergo præmissæ debent esse evidentes, per quas conclusio est evidens. Præterea nullus actus naturalis potest esse certus, quin sit etiam evidens, ut probabo in animasticis: ergo præmissæ debent esse certæ: ergo debent etiam esse evidentes.

Obiectio, eiusque solutio.

Neque obicias, Theologiam esse scientiam, & tamen esse inevidentem. Nego enim illam esse propriè loquendo scientiam, ut docet Gillius, & alij graues Theologi; duas enim conditiones ad veram scientiam exigit Aristoteles, certitudinem & evidentiam. Magis ergo propriè ad sapientiam Theologia pertinet, quam ad scientiam; vel potius est habitus distinctus à quinque intellectualibus enumeratis ab Aristotele 6. *Ethic.*

Conclusio 2.

Dico secundò. Præmissæ demonstrationis debent esse priores, & notiores conclusionem, non secundum naturam, sed saltem secundum nos; id est evidentes, & certiores, saltem ex parte subiecti. Contra Hurtadum *disp. vnde cina, sect. tertia.*

Notius aliquid alio duobus modis.

Obserua duobus modis aliquid dici notius alio. Primò secundum naturam: secundò nobis. Notius secundum naturam vocatur illud, à quo aliud pender; & sic omnis causa est certior secundum naturam, quam effectus. Notius nobis vocatur illud, quod est vicinius sensibus, quod con-

tingere potest dupliciter; vel enim est notius nobis ratione modi nostri intelligendi, vel ratione diligentie adhibite in eo percipiendo.

Præmissæ cuiusvis demonstrationis non sunt semper notiores secundum naturam, quia non semper continent causam conclusionis. Imò neque semper sunt notiores nobis primo modo, sed semper sunt notiores nobis, saltem secundo modo.

Ratio est, quia quoties adsunt necessariae conditiones, verum est Aristotelicum axioma, *Propter quod, &c.* sed hic adsunt omnes conditiones requisitæ; nam evidentia suscipit magis, & minus; conuenit tum præmissis, tum conclusioni; neque conclusioni ut conclusio est aliunde conuenit quam per præmissas: ergo præmissæ debent esse evidentes, quam conclusio. Deinde discursus est progressus à notis ad ignota, alioqui nullam ingenerat cognitionem: ergo præmissæ notæ notiores sunt, quam conclusio ignota. Denique quod est notum per se, & ex suis terminis, est notius eo quod est notum per aliud: sed præmissæ demonstrationis ut sic, sunt per se notæ; conclusio autem ut sic, est nota per aliud: ergo præmissæ sunt notiores conclusionem.

Obiicies primò. Si conclusio est semper minus nota, quam præmissæ, sequitur deueniri posse ad aliquam conclusionem quæ careat evidentia, quod absurdum est. Probo sequelam, si multæ conclusiones seriatim ex iisdem principiis deducantur, deuenietur tandem ad aliquam, in qua nulla erit evidentia; finitum enim per detractionem tandem exhauritur: sed hæc evidentia est finita: ergo si semper minuatur, finietur tandem.

Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem distingo maiorem: finitum per detractionem tandem exhauritur, per detractionem graduum, concedo; per detractionem speciei quæ mutetur in aliam, nego. Quomodo enim inter quolibet duas species inæqualis perfectionis, v.g. inter hominem & equum, possunt dari infinitæ species animalium perfectiores equo, & imperfectiores homine, quia illarum perfectio non crescit vel decrescit in gradu, sed in specie essentiali. Eodem modo diuersa evidentia conclusionum crescit, vel decrescit non gradualiter, sed essentialiter; idèd possunt dari infinitæ conclusiones minus notæ, quam quælibet designabilis; & tamen omnes erunt evidentes.

Obiicies secundò. Actus, quo credo Deum esse Trinum, non est minus certus, quam is, quo credo reuelationem. Atqui reuelatio est causa credendi Deum Trinum: ergo causa assentiendi non est notior, quam articulus, cui assentimur.

Respondeo, distingo maiorem. Actus, quo credo Deum Trinum, non est minus certus ex parte subiecti, quam actus, quo credo reuelationem, nego maiorem; non est minus certus ex parte obiecti, concedo. Præterea nego paritatem inter actum fidei, & discursum, quia eodem actu indiuisibili, quo credo articulum reuelatum, credo reuelationem; fides enim discursiva non est, præmissæ verò non cognoscuntur eodem actu, quo conclusio cognoscitur; idèd non est paritas inter demonstrationem, & actum fidei.

Obiicies tertio. In conclusione cognoscimus prædicatum & subiectum esse idem, quia sunt idem cum medio: ergo tam certi sumus de conclusione, quam de præmissis; quia quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.

Confirmatur. Nam eadè est vnio, per quam prædicatum

Probatur.

Obiectio, &amp; responsio.

Obiectio 1.

Responsio.

Obiectio 3.



# Disp. V. Quæst. vnic. de Demonstratione. 87

catur & subiectum inter se vniuntur in conclusione, & per quam in præmissis vniuntur cum medio: ergo præmissæ non sunt veriores conclusione.

Responsio.

Respondeo, distinguo consequentiam: tam certi sumus certitudine essentiali, concedo; tam certi sumus certitudine accidentaliter, siue ex parte intellectus, nego. Et ad confirmationem eodem modo distinguitur consequentia: præmissæ non sunt notiores essentialiter, concedo; accidentaliter, nego.

Neque dicas: conclusio est essentialiter certa propter præmissas: ergo præmissæ debent esse certiores essentialiter. Nego enim antecedens; nam præmissæ non faciunt conclusionem certam ex parte obiecti, sed faciunt tantum illam certam ex parte intellectus, qui propter præmissas assentitur conclusioni. Neque propterea sequitur, præmissas non debere certas esse essentialiter, quia quamuis conclusio non sit certa essentialiter per præmissas, sed tantum ut deducta, & accidentaliter, non potest tamen deduci ut certa, nisi præmissæ sint certæ.

Obiectio 4.

Obiicit quartò. Existentia Dei est quid notius, quam effecta, per quæ probatur: ergo præmissæ non sunt notiores conclusione.

Responsio:

Sed facile distinguitur antecedens: existentia enim Dei est notior secundum naturam, quam effectus; sed non est notior nobis: effectus enim sunt viciniore sensibus. Hæc propositio, *Christus est risibilis*, propterea est de fide, certior est quam hæc propositio purè naturalis: *Homo est risibilis*; sed propterea est deducta & naturalis, non est notior.

## S. V.

### Quomodo debeant esse proprie.

Præmissæ quando sunt proprie, & quando non.

**D**upliciter præmissæ demonstrationis intelligi possunt non esse proprie. Primò si sint alienæ, id est si non spectent villo modo ad scientiam, cuius est demonstratio. Secundò si sint communes pluribus scientiis, id est si spectent quidem ad illam scientiam, sed ad alias etiam spectent.

Assertio probatur.

Certum est, præmissas non debere esse alienas, ut ostendit Philosophus *cap. 6.*, quia non potest scientia egredi extra totum suum obiectum: egrederetur autem si usurparet præmissas nullo modo ad se spectantes. Deinde illæ præmissæ omnino alienæ à tota scientia, essent etiam alienæ à conclusione, sique nullo modo illam inferrent. Difficultas ergo restat solum, utrum præmissæ demonstrationis possint esse propositiones pluribus scientiis communes.

Conclusio.

Dico primò. Prima principia communissima virtualiter in omni demonstratione reperiuntur.

Nomine principij quid intelligendum.

Obserua primò, nomine principij, significari propositionem quæ à priori probari non potest, sed ex sola terminorum explicatione cognoscitur sine villo discursu, ut, *Omne sonum est maius sua parte*: *Impossibile est aliquid simul esse, & non esse*: *Quodlibet est, & non est*. Hæc enim lumine naturali aded nota sunt, ut statim ac cognosco quid significant illæ voces, *totum*, & *pars*, non possum non assentiri. Vtrum autem aliquando principia probentur per discursum, disputabitur cum agemus de habitu principiorum, quando de habitibus.

Duplex generis principiorum.

Obserua secundò, duo esse genera principiorum; alia enim sunt principia generalia, & communissima, quæ vocantur dignitates, & axiomata; & sunt ea quæ statim cuilibet apparent, ut, *Quodlibet est, vel non est*. Alia sunt principia propria scientiarum, ex quibus eruantur conclusiones illarum

R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

**A** propria, ut in Logica principium est, *Omnis definitio constat ex genere, & differentia*. In Physica, *Omne corpus naturale est mobile*. Hæc principia vocantur suppositiones, siue propositiones, quia illa principia in his scientiis non demonstrantur: vtrum verò possint in aliis scientiis demonstrari, alibi disputabitur.

Ratio ergo, cur principia illa communissima, saltem plurima reperiuntur virtualiter in omni demonstratione, est quia veritas illatiua consequentia tota in illis fundatur.

Dico secundò. Principia communissima possunt esse præmissæ demonstrationis à posteriori, non autem demonstrationis à priori. Videtur esse contra Aristotelem *cap. 7. & 8.* vbi fuse docet, præmissas demonstrationis esse debere proprias; sed ille loquutus solum est de demonstratione potissima, & à priori; non autem de demonstratione à posteriori.

Ratio est, quia istæ sunt veræ demonstrationes: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: *Quantitas A, & B, sunt æquales vni tertio: ergo sunt æquales inter se*. Item: *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*: ab istis duabus quantitatibus æqualia demuntur: ergo remanent æquales. Quæ demonstrationes sunt à posteriori, quia medium non est causa, sed signum.

Dico tertio. Principia pluribus scientiis communia possunt esse præmissæ demonstrationis, etiam à priori.

Ratio est, quia conclusio Theologica, v.g. quod *Christus sit risibilis*, potest probari per vnā præmissam physicam, quod *homo sit risibilis*. Chirurgus item probat vulnera rotunda curari difficilius per hanc præmissam geometricam: *Partes ei cuius magis distat à centro, quam partes alterius figure, addit enim Chirurgus: sed quæ magis distat, difficilius curantur: ergo vulnera rotunda difficilius curantur*.

## SECTIO VII.

### De præmissis demonstrationis à priori.

**P**raeter allatas condiciones ad omnem omnino demonstrationem necessariò requisitas, aliquid aliud exigit demonstratio propter quid, præsertim potissima; quod exponendum hoc loco est, vtrum scilicet propositiones, ex quibus constat, debeant esse per se notæ, immediatæ, primæ, indemonstrabiles. Quæ omnia esse synonyma mox videbis.

Dico primò. Præmissæ demonstrationis propter quid debent esse aliquo modo immediatæ, saltem virtualiter. In demonstratione autem potissima propositiones sunt immediatæ simpliciter, id est primæ, & indemonstrabiles.

Obserua primò, propositionem immediatam vocari eam quæ caret medio per quod probetur à priori, ut, *Deus existit*, non potest probari, quia nullam habet causam suæ existentie. Bene autem aduertit Gillius *lib. 1. tract. 8. cap. 2.* Propositionem immediatam vocari propositionem obiectiuam, non propositionem formalem.

Obserua secundò, propositionem duobus modis esse posse immediatam: primò simpliciter, siue secundum se: secundò secundum quid, seu respectu conclusionis. Simpliciter immediata illa est, quæ nullo modo potest probari à priori, id est, quæ nulla est prior. Et hoc contingit quoties prædicatur est de essentiali subiecto, id est, vel definitio, vel differentia constitutiva, ut, *Homo est rationalis*, & ided vocatur prima, quia scilicet non datur prius, per quod demonstretur.

H 2 Vocatur

Assertio secunda bipartita.

Assertio tertia affirmans.

Assertio bipartita.

Propositio immediata quid sit.

Propositio duobus modis potest esse immediata. Propositio immediata secundum se quid sit.



Vocatur *indemonstrabilis*, propter eandem causam. Vocatur *principium primum*, & *proximum*, quia est causa proxima à qua pendet veritas conclusionis. Vocatur etiam *per se nota*, ut mox patebit. Immediata secundum quid, siue respectu conclusionis, est illa, quæ probari quidem potest per aliquid prius, non tamen per aliquid, quod intercedat inter ipsam, & conclusionem, quando scilicet est causa immediata prædictæ conclusionis; sic enim probari potest à priori, ut quando risibile probatur de homine per admiratum, est propositio immediata secundum quid, quia admiratum est immediata causa risibilis; sed tamen potest probari per aliquid prius.

Propositio  
immediata  
secundum  
quid, quid  
sit.

Propositio  
immediata  
secundum  
quid dup-  
plex.

Obserua tertio, propositionem immediatam secundum quid esse duplicem: alia est actu immediata, quando medium est causa immediata prædictæ conclusionis, ut admiratum respectu risibilis: alia est virtualiter immediata, quando facile potest deveniri ad causam immediatam, ut discursuum respectu risibilis non est causa immediata, cum inter hæc duo intercedat admiratum, quamvis facile possit quis devenire ad causam immediatam, eo quod nullum interiaceat subiectum inter risibile, & discursuum. His positis,

Ratio cur præmissæ demonstrationis à priori sint immediatæ aliquo modo, est quia non quiescit intellectus donec videat causam, per quam res est: sed causa, per quam res est, est causa proxima: ergo intellectus non quiescit in demonstratione donec videat causam proximam.

Ratio.

Ratio cur sufficiant propositiones immediatæ secundum quid, & virtualiter, est quia demonstratio, quæ probat tertiam passionem per primam, v. g. risibile per discursuum, est vera demonstratio: sed hæc est immediata tantum secundum quid, & virtualiter: ergo non exigitur ut sit actu immediata.

Assertio bi-  
partita:

Dico secundò, Præmissæ demonstrationis à priori perfectissimæ sunt per se notæ secundum naturam: præmissæ autem cuiuscunque demonstrationis à priori non sunt necessariò per se notæ, etiam secundum nos.

Propositio  
per se nota  
quid sit.

Obserua primò, propositionem per se notam illam esse, quæ ex solis terminis cognoscibilis est, & non est cognoscibilis per aliud à priori: nihil autem obstat, quominus à posteriori possit probari, imò & per reductionem ad impossibile. Esse igitur propositionem per se notam, est non esse aliquid prius, per quod tanquam per causam demonstretur: hæc autem propositio duplex est, altera est per se nota secundum naturam, altera secundum nos. Per se nota secundum naturam, illa est, quam definitivius, quæ scilicet ex propriis terminis, si illi ex propriis rationibus cognoscantur, apta est assensum evidentem extorquere sine prævio discursu. Causa verò cur ita sit per se nota, est identitas terminorum, qui propterea si cognoscantur, statim sequetur assensus evidens. Hoc modo per se nota sunt omnes propositiones simpliciter immediatæ, seu indemonstrabiles, in quibus prædicatum est de essentia subiecti. Propositio per se nota nobis ea est, cuius termini sunt noti, & penetrati; ideòque assensum extorquent sine discursu prævio, licet secundum naturam suam possint demonstrari à priori, v. g. *Ignis est calidus*; & huiusmodi sunt quæcumque sensibus percipiuntur. Hanc divisionem propositionis per se notæ pluribus impugnat Scotus cum sua scola, contra sanctum Thomam *prima parte, quæst. secunda*, quem tuerentur omnes Interpretes ibi; sed omnino de

A nomine quæstio est, ut bene ostendit Vasq. *disp. decimasexta.*

Obserua secundò, dari veras propositiones obiectivas per se notas secundum se, & alias per se notas secundum nos; quia propositio, in qua prædicatum est de essentia subiecti est cognoscibilis per se sine discursu; si enim prædicatum idem significet, quod significat subiectum, propositio est cognoscibilis ex solis terminis: sed si prædicatum sit de essentia subiecti, prædicatum idem significat, quod subiectum: ergo si prædicatum est de essentia subiecti, propositio est cognoscibilis ex solis terminis. Quod autem detur propositio per se nota quoad nos, clarum est, quia illa, quæ sensibus percipiuntur, non egent ullo medio, per quod probentur; sed statim se ingerunt sensibus.

Conclusio  
bipartita.

B Neque dicas cum Scoto, non posse eandem propositionem evidentem esse, & obscuram: sed propositio per se nota secundum se, & non secundum nos, esset evidens, & obscura: ergo nulla est propositio per se nota secundum se, & non per se nota secundum nos. Concedo enim maiorem, & distingo minorem: sed si aliqua propositio sit per se nota secundum naturam, & non secundum nos, erit evidens & obscura, si sit propositio formalis, siue mentalis, concedo; si sit obiectiva propositio, nego. Eadem enim entitas est de se cognoscibilis ex terminis, licet à nobis non cognoscatur; ideòque non sequitur, eundem conceptum esse obscurum & evidentem; sed eundem conceptum, qui est verè confusus, ex sua natura talem esse, ut possit esse distinctus. Ex his

C Ratio primæ partis est, quia propositiones demonstrationis potissimæ continent necessariò causam intrinsecam, quæ nulla est prior: ergo sunt per se notæ secundum naturam; non sunt tamen necessariò per se notæ secundum nos, quia possunt probari à posteriori, & per causam extrinsecam.

Prima pars  
probat.

Ratio secundæ partis est, quia si risibile demonstratur de homine per admiratum, propositiones non erunt per se notæ secundum naturam, poterunt enim probari per aliquid prius, videlicet per differentiam constitutivam hominis.

Secunda  
pars probatur.

## SECTIO VIII.

### De circulo, & regressu.

Circulus, & regressus demonstrationis sæpe usurpat Philosophus, & tamen fusè impugnat, præsertim hic textu vigesimo secundo, contra veteres, qui asserbant principia demonstrationis posse mutuo demonstrari per eandem demonstrationem demonstratam ex eis. Videndum igitur est, quomodo nec à seipso discedat Philosophus, nec à vero: quod ultimum de demonstratione, & actuali scientia querendum restat.

Opinio ve-  
terum circa  
principia.

E Dico primò. Circulus demonstrativus propriè dictus, qui distinguitur à regressu, est semper inutilis, & reiiciendus.

Assertio af-  
firmans.

Obserua primò, circulum in communi significare duas demonstrationes, quæ constant iisdem terminis; ita ut quod est prædicatum in prima, sit medium in secunda, & è contra: ut si dicam, *Omne risibile est rationale: omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis*. Deinde verò, *Omne rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis*. Vbi vides quasi reditum à secunda demonstratione ad primam. Nam *risibile*, quo d

Circulus  
quid signifi-  
cet.



quod in prima demonstratione est medium, prædicatum est in secunda; & rationale, quod est medium in secunda, est prædicatum in prima. Definiri ergo potest in communi circulus: *Est duplex demonstratio iisdem terminis constans, quarum prima probat secundam, & secunda primam.*

**Circulus** quot modis contingat. Obserua secundò, posse circulum vniuersim sumptum contingere quatuor modis. Primò si ambæ demonstrationes sint à priori in eodem genere causæ, id est si medium primæ sit v. g. causa efficiens secundæ, & medium secundæ causa efficiens primæ, vt si dicas, *Regi iubemur parandum est: sed Rex iubet parare legi: ergo legi parandum est.* Deinde verò vt probes maiorem, si dicas, *Legi iubemur parandum est: lex iubet parare Regi: ergo Regi parandum est.* Hic progressus est semper circulus vitiolosus, & reiiciendus, quia causæ non possunt esse inuicem causæ in eodem genere causæ, vt in Physica demonstratur. Secundò, si ambæ demonstrationes sint à priori in diuerso genere causæ, id est si medium primæ v. g. sit causa efficiens prædicati secundæ: prædicatum autem secundæ sit causa finalis huius medij: v. g. si dicas, *Ille, qui haurit medicinam, amat sanitatem: Petrus haurit medicinam: ergo amat sanitatem.* Deinde verò, *Ille, qui amat sanitatem, haurit medicinam: Petrus amat sanitatem: ergo haurit medicinam.* Tertiò si ambæ demonstrationes sint à posteriori, vt si flebile probes per risibile, & risibile per flebile. Quartò, quando prima demonstratio est à posteriori, secunda verò à priori, vt, *Omne risibile est rationale, &c. Omne rationale est risibile: omnis homo, &c.* Hæc de circulo in communi, qui est quasi genus ad circulum propriè dictum, & regressum propriè dictum.

Obserua enim tertiò, circulum propriè dictum in eo distingui à regressu propriè dicto, quod in circulo termini secundæ demonstrationis non cognoscantur nisi per primam, & sumantur eodem modo, quo sumuntur in prima: in regressu autem termini secundæ demonstrationis sumantur diuerso modo, & non cognoscantur tantum per primam, sed per medium examen mentis, id est, vel per sensus & experientiam, vel per explicationem terminorum, vel per alios discursus intermedios. **Circulus** ergo propriè dictum sic definiens: *Est duplex demonstratio, qua ignotum probatur per aquè ignotum, & idem per idem; id est, in qua termini primæ demonstrationis non cognoscuntur nisi per secundam, termini autem secundæ non cognoscuntur nisi per primam; vt, Regi parandum est, quia lex iubet: legi parandum est, quia Rex iubet; quod semper contingit, quoties duæ demonstrationes sunt à priori in eodem genere causæ. Quo modo autem definiatur regressus propriè dictus, dicetur postea. Nunc sensus conclusionis est, quoties termini secundæ demonstrationis non sunt noti nisi per primam demonstrationem, & sumuntur eodem modo in vtraque, tunc circulus est inutilis, & reiiciendus, in quo post Aristotelem conueniunt omnes Authores mox citandi.*

**Ratio** est primò, quia si utilis, & possibilis esset circulus ille, in quo secunda demonstratio non cognoscitur nisi per primam, sequeretur idem esse notius, & ignotius respectu eiusdem propositionis; quod est absurdum. Probo sequelam. Præmissæ demonstrationis sunt nobis notiores quàm conclusio: sed eadem propositio eodem modo cognita est conclusio & præmissa, si detur circulus: ergo eadem propositio erit notior, & ignotior conclusione.

Secundò idem probaretur per idem, quod est in

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

**A** utile, & impossibile; id est idem probaretur per se ipsum; si enim A, cognoscatur per B, quatenus cognitum per ipsum A: ergo A, cognoscitur per ipsum A. Et si eadem notitia præmissarum causatur ex eadem notitia conclusionis, quam causat: ergo eadem notitia causatur à seipsa. Nugatorius est igitur omnino circulus, in quo termini secundæ demonstrationis non cognoscuntur nisi per primam, quia est inutile cognoscere ignotum per ignotum, & idem per seipsum. Alias Aristotelis rationes omitto, ne in re clara sim longior.

**Dico** secundò, Regressus propriè dictus, in quo termini secundæ demonstrationis sumuntur alio modo, quàm in prima, neque sunt noti tantum per primam, sed per medium examen mentis, est utilis & amplectendus; si autem non intercedat medium examen, est impossibilis, & reiiciendus. Ita omnes communiter post Aristotelem, & Theologi, qui accuratè in materia de fide regressum explicant, inter quos eximie Valentia 2. 2. disp. 1. & fusè in *Analysi*. Albertinus 10m. 1. princip. philosoph. corollario 4. dub. 1. Zabari. tract. de regressu. Dandini. 1. de anima, digressione 12.

Obserua primò, regressum propriè dictum ita defini: *Est duplex demonstratio iisdem constans terminis, qua progredimur ab vno genere notitia ad aliud, medio examine intellectus.* Potest autem habere vel duas demonstrationes à priori in diuerso genere, vel duas à posteriori; vel vnam à posteriori, alteram à priori, qui solus est regressus maximè propriè dictus, & ad omnes scientias vtilissimus; cum scilicet à cognitione effectus progredimur ad cognitionem causæ, & à cognitione causæ regredimur ad cognitionem effectus, à quo cœpimus; ei enim ferè soli datur nomen regressus, ceteri minus frequenter, & minus propriè sic appellantur. Imò à multis reiiciuntur, sed malè; sufficit enim ad verum regressum, si termini aliter cognoscantur in prima demonstratione, quàm in secunda, quod in aliis omnibus potest contingere: v. g. si duæ demonstrationes sint à priori in diuerso genere causæ, termini sumuntur diuerso modo. Item si vtraque demonstratio sit à posteriori, vel vna à priori, & altera à posteriori, termini primæ demonstrationis erunt tantum noti confusè, siue imperfectè; termini autem secundæ cogniti erunt distinctè: quod diligenter nota.

Obserua enim secundò, regressum propriè dictum præter duas demonstrationes, quas habet, sicut circulus, habere necessarid præterea operationem quandam mediam, quæ antecedit secundam demonstrationem, & sequatur primam; vocarique solet *Examen mentis*, seu *inquisitio*, & *negotiarium intellectus*. Quam operationem sic definiens: *Est operatio, qua distinctius cognoscitur aliquod medium, vel penetrando significationem terminorum, vel comparando illorum definitionem, vel discurrendo circa naturam causæ, & effectus.* Nam cum regressus in eo distinguatur à circulo, quod in circulo termini secundæ demonstrationis non sint cogniti, nisi per primam, eodémque modo cognoscantur quo cogniti sunt in prima; in regressu autem termini secundæ demonstrationis non cognoscantur tantum per primam, ne idem probetur per seipsum, debet in regressu dari aliqua operatio, per quam termini secundæ demonstrationis cognoscantur aliter, quàm in prima. Illa operatio vocatur *examen*, quia per illà examinamus diligenter significationem terminorum, vel naturam causarum, & effectuum; idèque potest esse vel nuda

H 3 apprehensio

Afferio secundæ.

Regressus propriè dicti definitio.

Regressus quid habeat.



apprehensio terminorum, vel vnus discursus aut plures, ita vt ante illud examen medium secundæ demonstrationis, quod cognitum est in prima demonstratione, cognoscatur tantum confusè; post illud autem cognoscatur distinctè, quod vt capias,

Modi alicuius rei cognoscenda.

Obserua tertio, ex Zabar. lib. de regressu, cap. 4. posse rem aliquam cognosci duobus modis: primò confusè, secundò distinctè. Cognitio confusa rei, est qua cognoscimus entitatem rei alicuius, non cognoscendo quid sit causa, vel effectus. Cognitio distincta est cognitio causæ in ratione causæ, vel effectus in ratione effectus, v.g. si cognoscam entitatem rationalis non cognoscendo quid sit causa risibilis, cognoscam rationale confusè; si verò cognoscam rationale esse causam risibilis, cognoscam distinctè rationale. Si cognoscam entitatem risibilis, non cognito quid sit effectus rationalis, risibile cognoscam confusè. Si verò cognoscam esse effectum rationalis, cognoscam distinctè. Difficultas ergo est, quomodo intellectus, qui in prima demonstratione cognouit terminos solum confusè, transeat ad cognitionem distinctam mediij, quam habet in secunda demonstratione; quod dico fieri per medium illam operationem, quam vocauit examen mentis: quod antequam probem,

Status controuersia.

Effectus quomodo notior sit causâ.

Ordo regressus faciendi.

Obserua quartò, effectum quemlibet nobis notiorum esse confusè, quàm causam, id est secundum existentiam, non tamen sub ratione effectus, quia effectus propiores sunt sensibus, ac proinde prius percipiuntur esse, quàm percipiantur eorum causæ; causam tamen notiorum esse distinctè, quàm effectum, quia prius est cognosci causam esse causam, quàm cognosci effectum esse à tali causa. Vnde sequitur hoc ordine fieri regressum. Primò sensibus percipitur aliquis effectus, cuius ignoratur causa; v.g. cognoscitur respiratio in omnibus terrestribus animalibus, non autem in aquatilibus. Deinde in omni animali terrestri videri esse pulmones; vnde primam format demonstrationem à posteriori: *Omne animal, quod respirat, habet pulmones: atqui omne animal terrestre respirat: ergo habet pulmones*, in qua demonstratione cognoscitur causa per effectum; pulmones scilicet per respirationem; sed vtrumque confusè cognoscitur, ita vt in ea demonstratione intellectus nec videat pulmones esse causam respirationis, nec respirationem effectum esse pulmonum. Sequitur postea examen, per quod accuratè intellectus respicit officium, figuram, materiam, meatum pulmonum; quæ omnia cum respiratione comparat, videtque omnino pulmones esse causam respirationis. Quo peracto examine statim hæc secunda sequitur demonstratio à priori: *Omne quod habet pulmones, respirat: omne animal terrestre habet pulmones: ergo omne animal terrestre respirat*. In qua demonstratione intellectus quiescit, cum habeat perfectam cognitionem effectus, & causæ. His positis,

Ratio prima.

Ratio cur regressus medium habens examen sit utilis, est quia in eo semper minus notum probatur per aliquid notius in certo genere notitiæ; nam termini secundæ demonstrationis aliter cognoscuntur, quàm termini primæ. Neque sequitur, idem probari per idem; nam v.g. B, demonstratur per A, non quatenus A, est cognitum per B, sed alio modo; & sic cognitio ipsius B, pendet ex seipsa; nam termini secundæ demonstrationis cognoscuntur per medium examen, non autem tantum per primam demonstrationem: ergo non est absurdum & impossibile facere regressum.

Secunda.

Secundò si regressus esset impossibilis; omnis scientia à priori esset impossibilis; nulla enim est

causa, quæ non innoscat per effectum prius cognitum: sed si regressus sit impossibilis, non licebit transire à cognitione causæ per effectum ad cognitionem effectus per causam: ergo nunquam cognoscetur effectus per causam, id est nulla erit demonstratio à priori. Præterea nullo modo fidei rationem reddi posse asserunt Theologi, nisi detur regressus; si enim aliquis à te petat, quomodo scis Deum esse primam veritatem reuelantem, respondebis, quia Ecclesia dixit. Rursum si rogeris, quomodo scis Ecclesiam esse, bene respondebis, quia Deus prima Veritas dixit; neque tamen erit circulus vitiosus, sed verus & utilis regressus; nam in prima quæstione cognoscitur velut à posteriori Deus reuelans, qui est causa principalis, per Ecclesiam, tanquam per instrumentum posterius, & nobis notius: in secunda verò cognoscitur effectus, Ecclesia scilicet, per veram causam, scilicet per primam Veritatem reuelantem, quæ est ratio formalis assensus. Quæ ratio formalis potest quidem cognosci per aliud à posteriori, sed non per aliud à priori; cognoscitur enim tantum per se, atque ita si interroget, quomodo scio Deum dixisse, Ecclesiam esse; respondebo: Per ratio rationem formalem à priori, & hæc nulla est præter hanc, *Quia dixit*. Si autem petas rationem à posteriori, facile respondebo, *Quia Ecclesia dixit; quia miracula id testantur; quia fidei antiquitas, & propagatio id persuadent*. Sicut in regressu scientiarum maior secundæ demonstrationis non probatur amplius à priori, sed accipitur tanquam nota ex terminis, & à posteriori probata.

Obiicies primò. Impossibile est aliquid esse notius & ignotius: sed in regressu idem est notius & ignotius: ergo regressus est impossibilis. Minor probatur, quia præmissæ sunt notiores, & conclusio ignotior: sed in regressu idem est præmissa vnus demonstrationis, & conclusio alterius: ergo idem est notius, & ignotius.

Respondeo, nego minorem, ad eius autem probationem distinguo maiorem: Præmissæ sunt notiores, & conclusio ignotior, quatenus præmissæ sunt præmissæ, & conclusio est conclusio, concedo; quatenus conclusio est præmissa secundæ demonstrationis, est ignotior, nego. Vnde secundò distingui clarè potest maior primi argumenti. Non potest aliquid esse notius, & ignotius in eadem demonstratione, vbi sumitur eodem modo, concedo; in diuersa demonstratione, vbi sumitur diuerso modo, nego.

Obiicies secundò. Non debet aliquid probari per seipsum: sed in regressu idem probatur per seipsum: ergo regressus est impossibilis. Probatur minor: si secundæ demonstrationis negetur maior, non poterit probari nisi per primam demonstrationem: ergo idem probabitur per seipsum.

Respondeo, nego minorem: ad probationem autem nego antecedens; si enim negetur maior secundæ syllogismi, non probabitur per primam demonstrationem, sed ex sola terminorum explanatione, eo quod sit quasi per se nota & indemonstrabilis, maxime cum intercesserit medium illud examen mentale, per quod etiam probari posset illa maior, si probatione indigeret.

Obiicies tertio. Non potest in secunda demonstratione cognosci effectus distinctè, nisi causa cognoscatur distinctè ante secundam demonstrationem: sed causa non cognoscitur distinctè ante secundam demonstrationem: ergo in secunda demonstratione non potest effectus cognosci distinctè. Probatur minor: si ante secundam demonstrationem

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.



nem causa cognosceretur distinctè, cognosceretur etiam ipsius effectus: sed non cognoscitur eius effectus: ergo causa non cognoscitur distinctè.

Satisfit.

Respondeo, nego minorem; nam quamuis per primam demonstrationem causa cognoscatur solum

A confusè, per medium tamen examen mentis cognoscitur distinctè; neque tamen perfectè cognoscitur eius effectus, nisi per secundam demonstrationem: unde ad probationem minoris neganda est maior.



# PHILOSOPHIÆ PERIPATETICÆ LIBER SECVNDVS.

## PHILOSOPHIA NATVRALIS,

SIVE PHVSICA.

Ad vniuersæ Physicæ Aristotelis libros Acroamaticos.


### PROLOGVS.



ATVRAM corpoream vniuersam, Philosophiæ partem eximiam, & pabulum animi longè iucundissimum tradere nunc aggredior, præteruectus sentes, & spineta omnia Dialecticæ, & ingressus in hortum pulcherrimum, iuxta & amœnissimum scientiæ Physicæ, quæ omnem complectitur doctrinam corporum, & totam speculatur visibilium rerum formam, sola ea cognoscens, quæ cerni oculis possunt, & plura videns in illis, quàm videre oculus possit. *Illam nimirum scientiam est (vt eleganter ait Synesius) quæ defossum in homine mentis oculum, sola eruit in lucem, vt purus ab omni cæno in Deum omnium effectorem desigere possit aciem, & perspicue latentem in creaturis pulchritudinem eius conspiciere.*

Est enim *ænigma sit rerum æternarum & immortalium, ac veluti oppansum æternitati velum*, tota hæc rerum vniuersitas, complexioque rerum corporearum (vt meditatur Tert.) sed reducto tamen in eam sipario attentius intuentibus æterna manifestat, & inuisibilia oculis cerni, ac propè manibus teneri facit. *Mundum hunc videlicet vniuersum S. Maximus, apud Cyparisi. decad. 10. appellat symbolum quoddam & inuolucrum Opificis Dei, sub quo latens vt videt omnia clarissimè, ita subobscurè solum videri potest. Sed nomina esse ac intelligentias inuisibilis Dei, omnia hæc, quæ conspiciamus, meritò asserit S. Dionysius: expressas eius similitudines, & tersissima specula, Gregorius Nazianz. Neque tantum umbram & fulgorem vltimum luminis eius, vt plerisque visum est Philosophis, inquit Ambros. lib. 1. Exham. cap. 3. sed insigne quoddam & gentilitium schema, totam refferens essentiæ præstantissimæ ac omnium primæ nobilitatem.*

In hoc igitur speculo, in hoc ænigmate, in hoc schemate sic intueri assuesce (mi Lector) miracula gestientis naturæ, vt oculos ab Authoris, quem celat, decore ac specie non auertas: *Vnde fiet, vt sapienter monet Picus lib. 7. Heptapli, vt natura tibi fiat gratia rudimentum, & illius scientia inchoatio religionis ac sanctitatis.*



### PRÆLVDIVM.

De obiecto, natura, & partibus  
Scientiæ Physicæ.

Nomen  
Physicæ.



PHYSICÆ nomen à Græca, vt patet, origine deductum, satis indicat illam esse scientiam rerum naturalium, idest contemplationem, speculationemque naturæ. Tullius sanè Physicum appellat naturæ speculatorem, & venatorem; quamuis video Platonem vtiurpasse nomen hoc paulò latius lib. de Monarchia, pro tota specula-

trice Philosophia. Comparat enim Philosophiam totam hortu, cuius sepem ait esse Dialecticam, arbores Physicam, fructus Moralem. Damasc. verò initio suæ Physicæ, cap. 1. videtur Physicam pro tota etiam sumere Philosophia, cum sic eam definiat, *Est eorum, quæ sunt, quatenus sunt, cognitio; est humanarum, atque diuinarum rerum scientia; est mortis mediatio; est Dei imitatio; est ars artium, & scientia scientiarum.* Sed hæc vtrique acceptio latior est, & minus propria, quia iuxta veram & communem omnium sententiam Physica significat scientiam & contemplationem rerum corporearum, tum in communi, tum in particulari; de qua scientia præmittenda breuiter tria sunt: primò, quale sit obiectum eius, tum materiale, tum formale: secundò, qualis habitus illa sit: tertio, quas in partes diuidatur.